# XENOPHONTIS SOCRATICI LIBER, QVI OECONOMICVS INSCRIBITVR.






BERNARDINVS DONATVS VERONENSIS VERTIT.

M D XXXIX.







# CLAR. V. M. ANTONIO AMVLIO PATRITIO VENETO DONATVS VERONENSIS.

*VOlenti mihi hoc tempore honestissimis de causis nugas illas, (quid enim aliud appellem?) edere, quas tu proxima æstate, quum te ad nos in* Vicetinos *montes contulisses, tantopere, quæ tua est humanitas, flagitabas, imitari illos placuit, qui per ignotas regiones facturi sunt iter; qui si modo vel mediocri aliqua prudentia sint præditi, hoc ipsum sine certo duce facere non audent. itaq; quum ipsa hæc scripta nostra quæ vides,* M. Antoni Venetæ *nobilitatis decus, qualiacunq; sint, essem in manus hominum emissurus, vt et ego ea sine metu omnis periculi emitterem, et ipsa sine vllo errore, quo tendunt, peruenirent, prius ad te huiusce itineris peritissimum ire volui, tuisq; semper insistere vestigijs iussi. et fateor quidem, potuisse me illa ad alios multos præmittere, quos eadem ratione sequerentur: sed quum tria præcipue in optimo quoq; duce esse necessaria intelligerem, locorum omnium atq; itinerum peritiam, gratiam apud eos, ad quos sit accessurus, qui ducitur, amorem erga eundem: ex his ipsis alij hoc, alij illud defuturum videbam. in te vno omnia illa perspexi. atq; ita quidem, vt etiam si quis esset, qui eorum vnum alterum ue præstare posse videretur, tu tamen in eodem illo excelleres. iam enim tu tantum, ista præsertim ætate, in hisce studijs nostris vales, vt cuius scripta tibi placuerint, is possit facile omnium aliorum contraria iudicia contemnere, non aliter quàm ille quondam sui poëmatis recitator, manente vno* Platone, *cæteros omnes qui abierant, optimo iure contempsit. hoc erit in te mea hæc scripta prius, q̃ emittantur legente, quod in duce itineris pe-*

*ritia esse solet locorum. gratia vero si quis se tecum pugnare, tibiq; parem esse posse confidit, hic aut te nunquam vidit, audiuitq; præsentem, aut se ipsum prorsus ignorat. fidem hæc prædicanti mihi facit, tua illa omnium rerum publicarum et clarissima et sapientissima patria, quæ tibi vel vltro suos deferre honores ipsa non destitit, dum tu altero quodam vitæ genere delectaris, illo videlicet, quod excellentissimis quibusque ingenijs maxime expetendum esse visum est semper. et quos tamen gessisti, honestissimos illos quidem, ita gessisti egregie, vt rationes tibi de more referenti, resq; exponenti tuas, nemo è tuis ciuibus esset, qui non tibi facto concursu ex animo gratularetur. de amore autem tuo, hoc mihi vere posse affirmare videor, me tibi vni, præterea nemini horum scriptorum vitam referre acceptam debere. quare quod te hisce scriptis meis quasi solem quendam clarissimum, à quo et illustrentur et foueantur, elegerim, mihi videor, ita et prudenter et iuste fecisse, vt nihil audeam sperare me post hac prudentius aut iustius facturum.*

# AD LECTOREM.

*Enophontis Socratici de re familiari dialogum, opus quo nullum apud Græcos aliud extat exquisitius, nullum omnino suis numeris absolutius, Cicero latinum olim fecerat: quo quidem labore functum illum, quum lectio veterum grammaticorum declarat, qui sæpius loca ex illo opere ad verbum deprompta vsurpant: tum Columellæ: quem apud nos de agricultura accuratissime scripsisse omnes nouimus: tum in primis Ciceronis ipsius de se ipso testimonium: cuius in secundo de officijs libro ad Marcum filium verba illa sunt, quæ huic et loco et proposito maxime conuenire videntur. Res, inquit, familiaris quæri debet ijs rebus, à quibus abest turpitudo: conseruari autem diligentia et parsimonia: ijsdem etiam rebus augeri. has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur: quem nos ista ferè ætate quum essemus, qua es tu nunc, è Græco in Latinum conuertimus. nemini ergo dubium esse iam debet, quin Cicero, vt diximus, eo labore sit functus. sed quum hoc ipsum Ciceronis tam præclarum opus vnà cũ plerisq; alijs eiusdem viri egregijs operibus interierint, aliquot abhinc annos, complures à me amici postularunt, vt id Latinum rursus redderem. quibus ego quidem acriter denegabã, propterea quod et ipse Græcum eiusmodi opus viderem eo genere dicendi subnixum, tot iam sæculis stare, vt nulla vnq̃ Latina oratio tantæ excellentiæ responsura esse videretur, et testem huius difficultatis haberem Hieronymum, qui ne Ciceronem quidem ipsum omnibus eo in opere placuisse affirmaret. nam in præfatione, qua in Chronica Eusebij vtitur, Etiam noster Tullius, inquit, Platonis integros libros ad verbum interpretatus est: et quum Aratum iam Romanum hexametris versibus edidisset, in Xenophontis Oeconomico*

,, lusit. in quo opere ita sæpe aureum illud flumen eloquentiæ, qui-
,, busdam scabris et turbulentis obicibus retardatur, vt qui interpre-
,, tata nesciunt, à Cicerone dictata non credant. hæc quidem Hie-
ronymus. sed vnde ego recusandi laboris occasionem maiorem mihi offerri putabam, inde illi acrius insiabant: si non gloriæ, quam ex stilo me consecuturum sperarem, at saltem gratiæ atq; vtilitati amicorum hoc darem: quorum nõnulli essent, qui, quum re sua familiari vnice delectarentur, et Columellam, Varronem, Virgilium, Plynium, aliosq; nostros sæpius legissent, huius vnius tam diuini operis lectionem desyderarent: quippe quum eorum pars Græce omnino nesciret, alij vero etiam si scirent, libentius tamen alieno fruerentur. vt ea discerent, quæ Græce scripta sunt, q̃ magno suo labore peregrinam linguam intelligere conarentur. satis ergo futurum, si docendi duntaxat gratia planè, perspicueq; rem ipsam Latinis, purisq; verbis comprahenderem. ornatum illum, illam Xenophontis suauitatem, illos Ciceronis flosculos, si à me non afferantur, se non desyderare, dum id vnum assequantur, vt quod scriptum sit, facile intelligant. dedi igitur manus. quid enim facerem talibus viris iubentibus? Latinum reddidi opus quoquomodo potui, certe tamen fide, vt maiore non potuerim. in quo tantum abest, vt me aliquid putem omisisse, quod in Græco habeatur, ex ijs duntaxat exemplaribus, quæcunq; habere potui, vt aliqua potius alicubi verba, quæ in illis non sint, addenda putauerim, quod et Hieronymus in eo libro, quem de optimo genere interpretandi scripsit, et Cicero in tertio de finibus ad lucem interpretationi inferendam docent sine vllo authoris damno esse faciendum. deniq; nihil magis curaui, q̃ vt Xenophon Latinè et planè loqueretur: hoc est, ita vt etiam à somniculoso lectore intelligi posset.

Vale.

Errata, quæ inter imprimendum euenere, ſic corrigito.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Folio | vij. | à tergo. | verſu xxviij. | quin etiam. |
| fo. | xiij. | à tergo. | u. xxvi. | conueniant. |
| fo. | xiiij. | à fronte. | u. xxiiij. | magiſtram. |
| | eodem | à tergo. | u. ij. ad veſcendum, et u. xxi. pertinent, et u. xx. | ſi qui. |
| fo. | xvi. | à tergo. | u. xxij. | perpulchram. |
| fo. | xviij | à fronte. | u. iij. | tranſegimus. |
| fo. | xviij. | a fronte. | u. xxvi. | narrante. |
| fo. | xx. | à tergo. | u. xx. | qui inquit. |
| fo. | xxi. | a fronte. | u. vij. | aſſentior |
| fo. | xxij. | a tergo. | u. iij. | contra.interdum |
| fo. | xxiij. | a fronte. | u. i. | villicos |
| fo. | xxiiij. | a fronte. u. | i. | iſto ſermone et u.iii.dilia gentes.et u.xxiiii.egregiaq; |
| fo. | xxv. | a tergo. | u. xx. | ille enim |
| fo. | xxvi. | a tergo. | u. xxv. | Atqui |
| fo. | xxvij. | a tergo. | u. viij. | nunc dicis.et u. xxii.auditurus (hoc.et u.xxiiii.capiam |
| fo. | xxviij. | a tergo. | u. iiij. | Atqui |
| fo. | xxix. | a tergo. | u. | xxvi.ſimũ.et u.xxvii.iſtuc verũ |
| fo. | xxxi. | a fronte. | u. iij. | quam |
| fo. | eodem | a tergo. | u. xij. | vides u. xiiii. atqui |
| fo. | xxxiij. | a fronte. | u. iij. | Atqui |
| fo. | eodem | a tergo. | u. vij. | iiſdem |
| fo. | xxxv. | a fronte. | u. xxiii. | ſiquidem |

# XENOPHONTIS COMMENTARIORVM DE SERMONIBVS SOCRATIS LIBER QVINTVS, QVI OECONOMICVS INSCRIBITVR, HOC EST, DE RE FAMILIARI.

VNDEM Audiui de re familiari differentem ad hunc modum. Age dum, inquit, dic mihi, ô Critobule, de re familiari quid tandem censes? est ne ea cuiuspiam scientiæ nomen? veluti videmus quandam esse artem & medendi, & fingendi æris, & ædificandi. Mihi vero, inquit Critobulus, videtur. Num igitur, quemadmodum possumus earum artiũ dicere, quid vnaquæq; muneris & officij habeat, ita rei familiari possumus suum aliquod munus assignare? Nimirum, Critobulus inquit, censeo ego quidem boni patris familias munus esse, rem bene suam familiarem gerere. Tum Socrates, non ne item alienam, inquit, æque ac suam, si velit, bene gerat, si quis modo curam ei mandet? nam ædificandi peritus nõ secus alteri operã suo munere fungendo tribuat, quàm sibi. Quid igitur patrem familias? idem ne censes facturum? Ego vero, ô Socrates. Tum ille, nihil ergo prohibeat, inquit, qui hanc artem didicerit, quãuis ipse pecuniam non habeat, eum tamen gerenda re aliqua, non secus, atq; alium quempiam ædificando, qui videlicet ædificandi peritiam sit adeptus, operam suam mercede locare? Tum Critobulus, sanè, inquit, magna etiam mercede sit dignus, qui, tali cura assumpta, ea munera obeat, quæ oportet, parandisq; opibus ipsam rem augeat familiarem. At enim res hæc familiaris quid tandem nobis esse videatur? num idem, quod domus? an etiam quæcunq; extra

*domum quis possideat, omnia in re familiari habenda sunt? & Critobulus, mihi quidem certe, inquit, videntur, etiam si in eadem ciuitate non sint, quæ quis possidet, in eius tamen re familiari esse vniuersa. Nempe etiam inimicos possident quidam? Prorsus possident: ac multos quidem non pauci. Num igitur inimicos quoq; horum possessiones esse dicemus? Et Critobulus, atqui, inquit, ridiculum sane id fuerit; si quis dum auget inimicos, etiam pro eiusmodi officio mercedem ferat. Certè id quidem: quando res alicuius familiaris idem nobis visa est esse, quod possessio. Tum Critobulus, nimirum, inquit, possessionem ego vocauerim quicquid boni quis possideat: si quid vero mali insit, non item. Videris mihi quæ cuiq; vtilia sint, ea dũtaxat possessiones vocare. Hoc prorsus modo, inquit: nam si qua sint, quæ noceant, detrimenti ego hæc potius nomine appellauerim, q̃ pecuniæ. Non ne igitur, licet quis empto à se equo vti nesciat, sed ex eo præceps labatur, infortuniumq; ferat, huic tamen pecuniæ loco sit equus? Haud sanè: si quidem bonũ est pecunia. Ergo ne terra quidem homini pecunia fuerit, si quis eam ita exerceat & colat, vt damnum faciat ex cultu? Prorsus ne terra quidem nomen pecuniæ obtineat, si dum nutriendus est cultor, ad egestatem & famem ipso cultu illum redigat. Eadem ergo ratio pecudum sit: nam si quis propterea damnum faciat, quod pecudibus vti nesciat, ne pecudes quidem ei sint pecuniæ loco. Non vtiq;, meo quidem iudicio. Tu igitur, quantum ego audio, quæcunq; prosunt, pecuniæ nomine appellas: quæ vero obsunt, non pecuniæ. Sic sanè. Fieri igitur potest, vt vna eademq; res, ei quidem, qui illa commode vti sciat, pecunia sit; ei vero, qui nesciat, non pecunia. Idem istuc censeo: quod quidem etiam in tibijs vsu uenit: nam tibijs si quis probe canere sciat, tum illæ pecuniæ nomen obtineant; si quis autem nesciat, non magis, q̃ lapides, quorum nullus sit vsus; nisi forte is venundet illas. istuc vero ipsum rursus nobis placet: tibias vendentibus quidem pecuniæ vsum præ*

*ſtare; non vendentibus autem, ſed penes ſe retinentibus, non item; ſi modo ij ſint, qui tibijs, vt dictum eſt, vti neſciant. et ſane oratio nobis hoc pacto, o Socrates, ſibi ipſa conſentiens texi, ducíq; videtur: ſi quidem iam dictum eſt, quęcunq; poſſidenti utilia ſint, ea duntaxat pecuniæ nomine appellanda: nam tibiæ, niſi vendantur, nunq̃ pecuniæ vſum præſtabunt. qui enim id, ſi illis vti neſcit, qui poſſidet? at, ſi vendantur, ſine dubio locum pecuniæ obtinebunt. Socrates autem aduerſus hęc, ſi quidem, inquit, is vendat, qui quatenus vendendum ſit nouerit. at ſi rurſus ab eo vendantur, qui pretii vſum ignoret, ne venditæ quidem, tua iſta ratione, tibiæ ad pecuniam pertinebunt. vtilis enim eſt poſſidenti pecunia. Videris mihi, ô Socrates, id dicere; etiã argentum rationẽ pecuniæ amittere, ſi quis eo vti neſciat. Tu vero mihi hoc ipſum fateri videris: ex quibus videlicet poſſit quiſpiam iuuari, ea ſola pertinere ad pecuniam. certe ſi argento ita quiſpiam vtatur, vt eo ſibi, exempli gratia, amicam emat, et ex ea re deterius valere non ſolum corpore, ſed etiã animo incipiat, reiq; item familiaris detrimentum facere, qua ratione huic argentum ſit vtile? nunq̃ dixeris. Nunq̃ equidem: niſi forte etiam Hyoſcyamum quod vocant, pecuniam eſſe dixerimus: quod genus qui ederint, ad inſaniam redigi ſolent. Proinde argentum quidem, ſi modo quis eo vti neſciat, ita procul repellatur, ô Critobule, vt nullo modo pecunia ſit. At vero amicos, ſi quis eis ita vti ſciat, vt ex ijs aliquem fructum percipiat, quo tandem loco poſuerimus? Pecuniæ nimirum, inquit Critobolus; ac multo quidem verius, q̃ boues, ſi modo bubus vtiliores ij ſint. Ergo inimici quoq; tua iſta ratione, ſi quis modo iuuari etiam ab ijs poſſit, ad pecuniam pertinebunt? Ita prorſus exiſtimo. Boni ergo patris familias officium fuerit ſcire, quo pacto etiam inimicis vtatur, vt ab ijs quoq; emolumenti quidpiam ferat. Ac præſtrenui quidem. Etenim cernis, inquit, iam nunc, o Critobule, quot priuatorum hominum familiæ ob rem bellicam creuerint, quàm multæ etiam ob facta tyrannica. Tum Critobu-*

*lus, at qui, inquit, cætera quidem probè ad modum mihi dicta esse videntur. Vnum illud amplius quæramus, si placet, quo sit nobis loco habendum: videmus enim nonnullos quibusdam facultatibus præditos, quas si exercerent, facile rem suam familiarem augere possent: quos tamen rursus intuemur nihil plane talium rerum conari. quo circa ijsdem inutiles eas facultates, atq; artes facile reddi animaduertimus. de hoc igitur genere hominum expecto quid dicas.* N*ihil aliud, meo quidem iudicio, hic sit dicendum, quam talibus hominibus eas artes neq; in pecuniæ, neq; in possessionis loco habendas.* Et *Socrates de mancipiis mihi. inquit, ô* C*ritobule, istum moliris sermonem?* M*inime, inquit, ego istuc O Socrates, sed de quibusdam loquor, qui uel generosi admodum esse videntur: quorum ego nonnullos armorum ac belli, alios pacis atq; ocij instrumenta adeptos conspicio; ea vero instrumenta exercere, aut colere nolentes ob hanc ipsam causam, vt ego quidem arbitror, quod dominos non habent.* Et *Socrates, cur tandem, inquit, dominos isti non habent, qui dum optant se beatos euadere, dumq; ex ijs, quibus præditi sunt facultatibus, bona student comparare, interim id facere ab ijs prohibentur, qui ipsis imperant?* Et C*ritobulus, qui quæso, inquit, isti sunt, qui illis ex occulto imperant?* Et *Socrates, neutiq;, inquit, ex occulto, sed planè, atq; euidenter. ac propterea quod nequissimi sunt, ne te quidem eos latere arbitror; si modo nequitiam eandem esse intelligis, et ignauiam, & mollitiem animi, et negligentiam. cæterum aliæ quoq; sunt blande illis, et cum fraude imperantes dominæ, quæ se voluptates esse profitentur: ludos ego hic intelligo, et inutiles cum alijs hominibus confabulationes: quæ spatio temporis ab illis quoq; ipsis, quos decepe rint, planè depræhendi solent, dum molestias esse illas voluptatibus implicitas sentiunt, quibus victi, ac cedentes, à fructuosis actionibus ante hac prohibiti sint.* T*um* C*ritobulus, at enim alij, inquit, sunt, qui ab ijs opus facere non prohibeantur, sed contra, et ad opus propensissimi, & ad nouos prouentus excogitandos sollertissimi: & tamen do*

mos, atq; familias absumant, & egestate atq; inopia laborent. Et Socrates isti quoq;, inquit, seruitute premuntur, atq; admodum quidem difficilium dominorum; alij ventris ac gulæ; alij obscenarum libidinum; alij ebrietatum; alij ambitionis cuiusdam stultæ, ac sumptuosæ: quæ quidem omnia ita aspere hominibus, quos subegerint, imperare consueuerunt, vt quam diu quidem eos cernant valentes, ac robustos, et ad opus faciendum idoneos, cogant sibi ferre quæcunq; ipsi elaborauerint, operáq; omnem suis ipsorum cupiditatibus impendere: simul ac vero eosdem imbecilles factos senserint ob senectutem, ita vt opus facere amplius non possint, tum et istos deserant, qui senio cōficiantur, et alios sibi seruos adsciscere studeant, quibus vtantur. verum aduersus hæc, ô Critobule, non minus pro libertate pugnandum est, q̄ aduersus eos, qui armis nos subigere conantur: nam huius quidem generis hostes iam vidimus, qui vbi et multitudine, et viribus ipsi præstantes, alios quosdam in seruitutem redegere, tum eorum non paucos meliores fieri castigando coegerint, eisdemq; reliquæ vitę multo facilius agēdæ authores extiterint: at vero hæ dominæ, de quibus loquimur, quā diu hominibus imperant, nunq̄ et corpora eorum, et animos, et quæ possident omnia pulsare desistunt. Critobulus ergo vbi hæc audiuit, in hunc modum locutus est. At enim, inquit, de talibus quidem rebus abunde satis mihi videor ea, quæ à te dicta sunt, percepisse. quod vero ad me attinet, dum me ipsum exploro, probè admodum mihi videor sentire me istiusmodi vniuersa domuisse. Quare si iam nunc me doceas quidnam me facere oporteat, quo rem augeam familiarem, nihil fuerit, cur me illæ, quas tu dominas vocas, id facere prohibeant. Quin tu bono potius animo consule, si quid boni habes. An vero nos, ô Socrates, aspernaris quasi eos, qui iam abunde satis diuites simus? tibiq; nullarum amplius indigere pecuniarum videmur? Non equidem, inquit Socrates. sed si de me loquaris, sanè nullarum mihi ipse videar indigens pecuniarum, sed diues satis su-

perq; esse. tu verò, ô Critobule, mihi videris esse admodum pau-
per: atq; adeo interdum, mihi crede, valde tui misereor. Tum Cri
tobulus cum risu, et quantum, inquit, obsecro te, ô Socrates, nūmo
rum, si tuæ res veneant, ex his conflatum iri arbitraris; quantū rur-
sus, si meæ? Et Socrates, ego quidem, si bonū emptorem sim nactus,
ex domo et rebus omnibus quæ mihi sunt, facile, inquit, me quinq;
minas conflaturum sperauerim. porrò ex tuis te non ignoro huiusce
pretii, quod dixi vel centuplum et amplius coacturum. Tum tu quum
hæc adeo planè noueris, te quidē pecuniæ indigere non putas? mei
autem te miseret ob paupertatem? Næ inquit: quando mea tantum
mihi præbere posse intelligo, quantum satis est. quod autem ad per-
sonam, quam tu semel induisti, tuamq; existimationem attinet, ne si tri
plicentur quidem tibi quęcunq; nunc possides, ea satis fore perspi-
cio. Et Critobulus, qui quæso, inquit, istuc? Tum Socrates, nem
pe, inquit, quod primum necesse tibi esse video et multa et ingen-
tia de more sacra facere: alioqui q̄ multos ego homines fore proui
deo, qui te perpessuri non sint? deinde hospites multos te accipere
oportet, & eos quidem splendide atq; magnifice. deinde ciuibus
tuis cœnam interdum parare, eorumq; non paucos tibi beneficijs ob-
stringere, aut sine socijs atq; amicis fore posthac. ciuitatem quoq;
ipsam perspicio. tibi iam nunc ingentia munera imperare, vt equos
alere, vt choris sumptum prębere, vt gymnasijs, alijsq; rebus pręesse.
quod si bellum ingruat, cerno iam tibi et stipendia in naues, et tot
tributa imperanda, quot tu nunq̄ facile possis sustinere. quorum
si quid minus forte ad vnguem effectum præstitisse vnq̄ videaris,
noui ego Athenienses tibi non secus supplicium et mulctam irroga-
turos, quàm si te sua ipsorum furatum deprehendissent. quibus re-
bus, quum te tibi ipsi videri diuitem videam, ac propterea in quæ-
renda pecunia minus diligentem, atq; industrium, ac ludicris potius
rebus, quantum tibi est facultatis, studentem, facere nō possum, quin

me tui misereat; dum timeo, ne in immensum aliquod exitiũ preceps deuoluaris, et ad extremam inopiam deuenias. nam mihi siquid vnquam defuerit, ne tu quidem ignoras futuros, qui suppedient; atq; adeo, vt vel exiguum quiddam præbentes, refertum omnibus copijs victũ sint præstaturi. tui vero amici, quamuis ad viuendum necessaria multo abundantius suis copijs, quàm tu tuis possideant, ijdem tamen dum à te inuentur, expectant. Et Critobulus, ego plane inquit, ô Socrates, quid aduersus hæc dicam non habeo. proinde tempus tibi iam fuerit te mihi ipsum ducem præbere, ne iam nunc re vera fiam miserabilis. Quod vbi audiuit Socrates, et non putas, inquit, ô Critobule, te stuporis cuiusdam nota esse dignum; qui, quum pauloante ipse dixissem me diuitem, non tenuisti risum aduersum me, tanquam in eum, qui tibi viderer ne quid diuitiæ quidem sint, scire: nec prius destitisti; quàm redargueris me, et fateri coegeris, ne centesimam quidẽ tuarum rerum partem possidere: nunc autem me tibi ducem esse iubes, et cauere, ne quando ad veram omnino paupertatẽ redigaris: Nempe, ô Socrates, video te, inquit, vnum quiddã tenere, quod ad diuitias pertineat. Id porrò est rem ampliorem facere: quod si tu ad ea, quæ pauca sunt, multiplicanda et augenda idoneus es, longe facilius ea, quæ multa iam sunt, te et plura et ampliora facere posse sperauerim. Non tu ergo memoria tenes, quod à nobis dictum est nuper, quum mihi ne mutire quidem permittebas, propterea quod equos non esse pecuniam contenderes ei, qui equis quo pacto vteretur, nesciret, nec terram ei, qui terra, nec pecudes, nec argentum, nec deniq; aliud quidquam, cuius quis peritiam atq; vsum adeptus non esset: porrò non te latet ab istiusmodi rebus omnem esse prouentum capiendum. me autem, quem tu tandem alicuius horum vsum tenere arbitraris, qui nunquam quidquam omnino talium rerum possedi: Attamen vtriq; placebat, quamuis vsu veniret alicui, vt nullius pecuniæ dominus esset, quandam tamen huic esse posse rei familiaris scientiam. quid igitur prohibet te istiusmodi scientiæ peritum esse: Nem-

pe idem, quod et quemuis hominem scire tibijs prohibeat: nam si quis neq; vnquam tibias ipse habuerit, neq; alius ei suas ad discendum concesserit, quomodo is vnquam tibijs sciet? hoc ipsum sane nunc mihi vsu venit in re familiari: nam neq; ipse vnquam pecunias, quae sunt rei familiaris instrumenta, possedi, vt ijs possem discere, neq; alius mihi sua, quae administrarem concessit; nisi tu nunc forte velis concedere. caeterum qui cithara canere nunc primum discunt, aut lyra, ij solent etiam ipsa instrumenta vastare. quare si nunc domi tuae rem familiarem discere aggrediar, fortasse rem tuam omnem ac domum euertam. At Critobulus aduersus haec, libenter, inquit, ô Socrates, laborem mihi subterfugere videris, neq; velle mihi vlli esse adiumento ad onera rei meae familiaris leuius ferenda. Non equidem, inquit Socrates, ita et viuam et valeam: quin potius quaecunq; tali de re habeo, ea vel libentissime tibi sum omnia impertiturus. puto autem si ignem quoq; ad me petitum venisses et propterea quod non haberem, vnde id tibi praestarem, te alió remitterem, vnde facilius posses accipere, nullis te fuisse aduersum me querelis vsurum. si vero etiam aquam postulanti tibi, ipse non habens, dux authorq; essem, vt illuc ires, unde tibi haurire liceret, nec hoc quidem, puto, mihi vt criminosum exprobrares. quod si musicam artem volenti a me discere, alios tibi ostenderem eius artis longe, quam ego sum, peritiores, qui vel gratias habituri essent, si modo ab ipsis velles discere, quid causae esset, cur me tibi haec facientem accusares? Nihil sane merito, ô Socrates. Ego igitur tibi ostendam, ô Critobule, eorum quae a me discere tantopere cupis, alios multo peritiores, quam ego sum magistros. nam hoc ipsum fateor me curauisse nonnunquam, vt tenerem, qui nam singularum rerum peritissimi essent in ciuitate: quum enim ab iisdem rebus alios quidem valde inopes, alios autem contra, valde diuites existere didicissem, non mediocriter sum miratus, ipsamq; rem dignam consideratione iudicaui. Itaq; quum diligentius quaererem quidnam id esset, inueni vtrunq; eorum fieri admodum probabiliter; eos enim qui temere

talia

talia administrarent, damnum facere videbam: eos autem qui animo nulla in parte remisso curam adhiberent, et celerius et facilius et maiori cũ lucro negociũ suum agere comperiebam: à quibus te quoq; arbitror, si volueris, discere, modo ne tibi conanti Deus aduersetur, apprime excellentem pecuniæ augendæ artificem euasurum. Quæ quum audiuisset Critobulus, Nũc adeo, inquit, ego neutiquã dimittã te, ô Socrates, nisi prius, quæ mihi hisce amicis audientibus pollicitus es, ea omnia demonstres. Tum Socrates, quid igitur, inquit, si primum tibi alios quidem ostendã, qui ædes inutiles multo argento ædificauerint, alios vero, qui multo minore summa, omnibus rebus, quibus oportet, aptas construxerint? num tibi hoc pacto videar vnum aliquod munus eorum, quæ ad rem familiarem pertinent, ostendisse? Maximè id quidem, inquit Critobulus. Quid porrò, si quod sequitur ipso ordine, id quoq; tibi demonstrare aggrediar? alios quidem qui et multa et omnis generis supellectilia possideant, his ipsis tamẽ, quum opus est, neq; scire quemadmodum vtantur, neq; vtrum sibi ea domi saluã sint, memoria tenere; ac propterea et multis ipsos sæpe affici molestijs, et multis item familiam afficere? alios autem, qui nihilo plura illis, ac potius pauciora domi habeãt, ea ipsa tamẽ in promptu habere, quum opus est, ijsq; vti commodissime? At enim, ô Socrates, quid tandem in causa fuerit, cur horum quidpiam illis eueniat? num quod illis quidem omnia temere, ac fortuito dispersa iaceant, his autem singula suis, certisq; locis disposita teneantur? Istuc ipsum videlicet, inquit Socrates. sed item, tametsi ne fortuitis quidem locis, sed illic, vbi deceat, aptumq; sit, singula collocata sunt. Et Critobulus videris mihi, inquit, istuc quoq; vnum ex ijs, quæ ad rem familiarem pertinent, dicere. Quid igitur, inquit, si tibi rursus seruos ostendam alibi quidem, vt ita dixerim, vinctos teneri vniuersos, et hos ipsos tamen gregatim vndiq; fugere: alibi autem solutos, vltro tamen ad opus faciendum ferri, atq; in perpetuum du-

rare? nõ ne item hoc tibi videar vnum ex ijs quæ ad rem pertinent familiarem, consyderatione dignum ostendere? Sine dubio id quidem, inquit Critobulus, ac vel maxime. Si vero itidem ex ijs, qui rei rusticæ student, alios qui agris colendis perijsse se, atq; ad inopiam redactos dictitent, alios autem contra, qui omnia, quæ ad viuendum sunt necessaria, ex vna se agricultura, abunde, atq; egregie capere, quid tibi tum deniq; videatur? Tum Critobulus, nimirum isti, inquit, nõ solum in ea fortasse impendunt, quæ non oportet, sed etiam quæ et sibi ipsis, et rei familiari perniciem afferãt. et Socrates, sunt, inquit, fortasse etiam aliqui tales; verum ego de istis non loquor: sed de ijs, qui, quum se agricolas profiteantur, ne in ea quidẽ, quæ maxime necessaria sunt, quidq̃ habent, quod impendant. Et quæ tandem fuerit huiusce rei causa, ô Socrates? Si ego, inquit ille, ad hos quoq; duxero te, tum tu spectans eccquid per te ipsum disces? Maxime, inquit, si modo possim. Atqui oportet te tui ipsius periculum spectando facere, num huiusmodi sis cognitionem adepturus. ego enim de te exploratum hoc habeo, si ad spectandos comœdos sit eundum, te summo mane surrecturum, valdeq; etiam longum iter ingressurum, exhortaturumq; me omni studio, vt velim tibi esse spectandi comes, qui tamen nunq̃ antea me ad vllum tale opus intuendum vocasti. Nempe ridiculus tibi esse videar, ô Socrates. Vide ne tibi ipsi, inquit, multo magis. Si vero etiã ex studio atq; arte equitandi ostendam tibi alios quidem ad victus inopiam redactos, alios autem factos valde opulentos, qui interim ipso lucro læti fruantur? quid tũ mihi dixeris? At enim mihi istos quoq; vt viderẽ iam contigit, planeq; eorum vtrũq; genus noui. nihiloq; tamen magis eorum vnus efficior, qui lucrentur. Nimirum ita illos spectas, quemadmodũ et tragœdos et comœdos soles, non vtiq;, ni fallor, vt poeta efficiaris, sed vt voluptatem ex visu audituq; capias. atq; istuc ipsum recte fortasse. neq; enim poeta vis fieri. quum autem equis vti tibi neces-

*se sit, non ne te ipsum stultitiæ condemnas, si non ita rem hu-iusmodi spectas, vt ne illius post hac ignarus imperitusq; sis, præsertim, quum ijdem sint et ad vsum apti, atq; habiles, et ad mercaturæ institutum quæstuosi? Equis domandis me dare operam iubes, ò Socrates.* Minime vero, *ac nihilo quidem magis, q̃ seruos rusticos à pueris ementem instruere. sed esse quadam mihi videntur ætates, et equorum, et hominum; quæ initio protinus vtiles sint, et in dies proficiant. possum autem quosdam tibi ostendere; qui etiam vxoribus ita vtuntur; vt eas in augenda re familiari socias habeant; alios rursus, qui ea ratione, qua ad exitium familiæ plurimæ redigantur.* Atqui *huiusce rei culpa, ò Socrates, in quem potius cõferenda. maritum ne, an vxorem?* Tum *Socrates, pecus quidem, inquit, si male habeat, pastorem sæpius accusare solemus. Item equus si vitiosior fiat, equiti plerunq; id vitij genus adscribere: at mulier si, dum à viro ad bonum instituitur, ipsa interim ad malum feratur, merito fortasse ipsa in culpa sit: sed si, dum illam vir nihil neq; boni, neq; probi docet, harum rerum imperitam, atq; ignarã offendat, non ne in viro iuste omnis culpa resideat? omnino autem, ò Critobule, inquit (amici enim hic adsumus,) vera inter nos dicere oportet. est alius quispiam, cui plura credas ex ijs, quæ seria dicuntur, q̃ vxori?* Nullus *inquit.* Porrò *autem quo cum colloquẽs pauciora communicas, quàm cum vxore? Sin id minus, at saltẽ haud cum multis, inquit,* Duxisti *porrò illã puellam maxime adolescentem, an, quod fieri potuit, eam, quæ res paucissimas et viderit, et audierit?* Maximè. Ergo *longe sit admirabilius, si eorum quæ dicere facere ne oporteat, quidquam sciat, q̃ si nesciens aberret.* Tum *antem, quibus rebus bonas ais existere vxores, ó Socrates, ijs ipsi illas erudierunt?* Nihil *minus consyderari, seu spectari potest. verum sistam tibi ego hic* Aspasiam, *quæ certius atq; eruditius me ipso, tibi hec omnia monstrabit. puto autem vxorem, quæ in rei domesticæ socie-*

*tate probè se gerat, in ipsa contentione ad bonum, ad modum æqua lis momenti ac ponderis suo viro esse. veniunt quidem in ædes bona ex viri administrationibus sæpius: promuntur vero in sumptus quotidianos quam plurima ex vxoris custodia. quorum sanè vtrunq; si bene geratur, augeri res domesticæ solent; sin male, cõtra scilicet, eædem minuentur. puto autem reliquarum quoq; artium peritos quicunq; singulas pro dignitate exercent, tibi facile ostensuros, si cuius rei tibi ipsi indigere videaris.* At qui vniuersas quidem, inquit Critobulus, quid te, ô Socrates, ostendere nobis oporteat? nam neq; facile est omnium earũ professores, ac magistros habere domi, cuiusmodi oportet, neq; est quispiam qui earum ipse peritus fieri possit: sed quæcunq; ex ijs honestissime videntur, meq; maxime nunc tali cura affectum deceant, eas mihi et ipse demonstra, et qui eas exerceant, indica. necnon pro eo, quãtum tibi est facultatis ad hæc ipsa docendo me iuua. Enimuero, inquit, probè Sane dicis, ô Critobule. nam quæ sordidæ vocantur, et infames sunt, et meritò quidem ignobiles ac viles habentur in ciuitatibus. si quidem et eorum, qui ipsas exercent atq; curant, corrumpunt corpora, dum eos et sedere assidue cogunt, et vmbratili vita torpescere; quædam vero etiam totum diẽ desidere ad ignem. quorum autem corpora effœminentur, eorundem animi multo imbecilliores euadant necesse est. et ocia, maxime sectantes neq; amicorum, neq; patriæ curam adhibent vllam. quocirca qui talibus artibus assuefacti sunt, neq; satis probè amicis vti videntur, neq; si patriæ subuenire oporteat, ad id illi officij genus præstandum satis idonei esse. proinde in non nullis quidem ciuitatibus, et ijs maxime, quæ in rebus bellicis versantur, etiam prohibentur ciues, omnino earum artium vllam exercere, quæ sordidæ appellantur. Quibus ergo nos tandem vti iubes, ô Socrates? Tũ ille, num quid igitur, inquit, pudeat nos regem Persarũ imitari?

*illum quippe aiunt duas artes rusticam et bellicā in pręclaris maximeq; necessarijs studijs ponentem, vtranq; nauiter strenueq; curare. et Critobulus quum hæc audiuisset, Et tu, inquit, hoc credis, ò Socrates, regi Persarum agriculturam vlli esse curæ? Et ille, hoc sane, inquit, modo si contemplemur, ò Critobule, forsitan inueniemus num quod dixi verum sit. equidem res bellicas illum strenue curare nemo est qui neget: quando singulis magistratibus siue præfectis legem dedit, ex quibus nationibus oporteat cōmeatum accipere, et in quot equites, quotq; sagittarios, itē funditores, atq; eos, qui scutis Persicis armantur, distribuere: qui quidem et ad eos, qui sub ipsius imperio sunt cohibendos idonei sint, et si hostes inuaserint, regioni opem in periculo ferant. præterea vt custodes ad præsidium in arcibus nutriant. et commeatū quidem ijs, qui in præsidio sunt, is magistratus tribuit, cui id oneris impositum est. rex vero singulis annis explorandi gratia milites mercenarios inuisit, aliosq;, quibus arma ferre imperatum est. et cogens in vnum omnes, præter eos, qui in pręsidio arcium sunt locati, illic adesse iubet, vbi conuentus agi solet. et eos quidem, qui loca habitant ad regionem ipsius pertinentia, ipse inuisit: ad eos autem, qui remotiora incolunt, viros fideles mittit, qui inspiciant. quotquot vero hoc pacto aut præsidijs præfecti, aut tribuni, aut satrapæ non diminutum, ita vt imperatum est, numerum habere uisi fuerint, hosq; ipsos idoneos, ac tam equis, quàm armis instructos præbuerint; tum eos cunctos magistratus ille, et honoribus augere, et donis ingentibus ditare consueuit: quoscunq; autem ex magistratibus inuenerint, aut negligentiores erga eos, qui præsidijs præsunt, aut eosdem gratia lucri fraudantes, in eos grauiter animaduertit: nam et magistratum eis adimit, et in eorū locum alios diligentiores substituit. quæ dum ille facit, rem bellicā curare à nobis sine vlla controuersia est iudicandus. præterea quā*

cunq; regionem, aut ipse equo inuectus inuisit atq; explorat, aut nõ ipse inuisit, sed viros fideles mittit, qui inspiciant, in ea omni, quoscunq; magistratus senserit et loca præbere celebria, et terrã ope roso labore vtilem, arboribus videlicet ac frugibus, quarum vna quæq; est ferax, abunde refertam; ijs & aliam regionem quã cu rent adiungit, et munera ampliora largitur, et loca in consessu ho noratiora concedit; quibuscunq; autem, et inertem, et paucis homi nibus frequentatam regionem esse videt, siue ob asperitatem, siue ob petulantiam, siue ob negligentiam; eos et pœna afficiens, et à ma gistratu amouens, alios creat, qui præsint. hæc dum ille facit, vide tur ne tibi minus curare qua ratione terra fæcunda, vtilisq; redda tur ab incolentibus; aut quemadmodum ea probe fideliterq; seruetur à custodientibus? horum porro munerũ vtrunq; delegare ille solet nõ ijsdem magistratibus, sed diuersis: nam alios eorum colonis, atq; ha bitatoribus præficit; qui etiam tributa ab illis cogant: alios autem armatis; qui in præsidijs custodiæ causa locati sint. quod si custo diæ præfectus non, quemadmodum oportet, regioni subsidio sit; tunc, qui incolis præest, et opus rusticum curat; ipsum illum accu sat, quod propter custodiæ negligentiam nõ possint coloni opus suũ præstare. sin rursus illo pacem atq; ocium colonis suppeditante, ha bitantium, colonorumq; præfectus infæcundam et inutilem, paucisq; hominibus frequentatam præbeat regionem, tunc ille accusat hunc al terum; fere enim qui male terram exercent, ij neq; præsidijs victum sufficere, neq; tributa præstare possunt exigentibus. verũ si quo in loco satrapa sit constitutus, is vtriusq; muneris curam sustinet. tũ Critobulus; Ergo si quidem rex, inquit, ista faciat, ò Socrates, nõ minus scilicet mihi rem rusticam curare quam bellicam videtur. Et Socrates, quia etiam extra hæc omnia, inquit, quascunq;, ipse inco lit regiones, et ad quascunq; sæpius accedit, in ijs vt horti sint, cu rat, qui paradisi vocantur, omnibus bonis commodisq; referti, quæ

cunꝗ terra ferre consueuit. et in ijs ipse plurimum diuersatur, nisi si quando anni tempus prohibeat. scilicet, inquit Critobulus. necesse enim est, ò Socrates, vbicunq; ille diuersatur, illi curæ esse, vt pulcherrimi sint paradisi, et arboribus et omni alio genere bonorum consiti, quæ terra fert. Et Socrates, sunt etiam, inquit, qui dicant regem, quo tempore is dona dat, primos eos vocare, qui in bello strenue se gesserint; propterea quod nihil prosit multum arare, nisi præsto aliqui sint, qui regionem tueantur; secundo autem loco eos, qui optime terras ipsas colant, et feraces vtilesq; reddant; ob hãc sane causam, quod ne strenui quidem illi vnde vitam ducant, habituri sint; nisi alij sint, qui terram exerceant. itaq; Cyrus fertur, qui vnus regum optimus fuit, olim ijs dixisse; qui ad dona vocati erant, se merito vtriusq; generis dona accepturum: nam se et ad colendam exercendamq; terram esse maxime idoneum, et ijs qui illã colerent, tutandis, et cõseruandis abunde sufficere. Et Critobulus, ergo, ò Socrates, Cyrus quidem, inquit, si talia locutus est, non minus est professus, se regiones fœcundas, atq; vtiles ipso cultu reddere posse, quam bellicæ artis peritum esse. Crede id quidem inquit Socrates: Cyrus enim si vixisset, optimus videtur fuisse princeps futurus; atq; huius rei ipse, quum alia multa dedit indicia, quibus nihil certius; tum vero, quo tempore profectus est, vt cum suo fratre de regno dimicaret, ab eo dicitur nullus vnꝗ ad regẽ transfugisse; à rege autem ad Cyrum multa plane millia dicuntur. Ego vero eius virtutis, quæ in aliquo principe sit, vel hoc maximum argumentum esse arbitror; quum imperanti parent non inuiti; quumq; in illius periculis grauioribus prompto animo permanent. at enim cum illo et dum vixit, amici in pugna omnes, atq; acie permanserunt; et cum eodem cadente mortui sunt omnes, de sui regis corpore contendentes, præter vnum Arięum: casu autem euenit, vt is in sinistro cornu esset collocatus. ad hunc igitur Cyrum

quum Lysander venisset Sardis, eiq; dona à socijs attulisset, ipse fertur Cyrus et cæteris in rebus comem se erga Lysandrum, atq; humanum præbuisse, quemadmodum ex ipsius Lysandri sermone accepimus, quem Megaris olim cum hospite quodã habuit; et ei quendam conseptum agrum diligenter consitum, quem in illa vrbe habebat, ostendisse. quem quidem vbi Lysander est admiratus, et in eo, vt pulchræ quidẽ aspectu essent arbores, vt vero quæ sata essent, paribus interse interuallis distarent, vtq; arborum directi ordines, et ad omnes angulos egregie sibi omnia responderent, odoresq; varij ac suaues ab ijs, qui inambularent, abunde perciperentur, tum ex admiratione in huiusmodi vocem erupit. At ego, inquit, istec verò omnia, ô Cyre, pulchritudinis quidem causa admiror; sed multo magis illum suspicio, qui tibi et dimensus est, et disposuit, descripsitq; singula. Tum Cyrum, qui hæc audiuisset, elatum gaudio dixisse. Scito, ô Lysander, à me omnia ista et dimensa, et descripta esse. quin etiam multæ istarum arborum mea manu sunt satę. Lysandrum verò dum intentis in illum oculis, vestimentorum, quibus indutus erat, nitorem contemplatur, dumq; et monilium, et armillarũ, ac reliqui ornatus, quo erat insignitus, splendorem intuetur, respondisse: quid quęso ais, ô Cyre? tu ne istis manibus aliquid horum seuisti? et Cyrum aduersus hęc his vsum verbis: Miraris, inquit, hoc, ô Lysander? iuro tibi per Mythram, eum, qui apud nos omnium deorum est maximus, me, quoad licuerit per valitudinẽ, nũq; adhuc coenatum, nisi sudore prius emisso aliquid eorum tractanti quę vel ad rusticam rem, vel ad militarem pertineant, vel eorum, aliquid, pro quibus dimicare semper gloriosum putauerim. quę vbi Lysander audiuit; tum vero et complexus est regem, et sic locutus est. Recte verò te, Cyre, beatum ferunt; quoniam virtuti tuę fortuna coniuncta est. hæc porrò, inquit Socrates, narro tibi, ô Critobule; vt intelligas, quod ne illi quidem, qui valde beati videntur

dentur, ab agricultura possunt abstinere. eius quippe studium affer re solet, et voluptatem simul, et rei familiaris incrementum; et ita corpora hominum exercere, vt ad omnia præstanda, quæ ingenuum hominem deceant idonea existant. nanq; primum ex quibus homines sibi vitam propagant, ea omnia terra fert colentibus. quare eadem pariter ea fert, ex quibus voluptates percipiunt. deinde quibus non modo altaria et simulachra, sed etiam ipsi solent ornari, ea facile vnà cum suauissimis, et odoribus, et coloribus subministrat. deinde quum obsoniorum varia sint genera, hæc illa partim ex se ipsa gi gnit, partim etiam pascit ac nutrit: si quidem agriculturæ res pecuaria coniuncta est, ita quidem, vt et quibus deos sacrificando pla catos reddant, et quibus ipsi vti possint, ex ea re habeāt. quū autem bonorum immensam copiam largiatur, non permittit ea cum mol litie vel ignauia percipi, sed et frigori hyberno, et calori æstiuo ferendis, et corpora et animos hominum assuefacit: et dum eos quidem qui suis ipsorum manibus opus faciunt, exercet; eos autem qui studio et cura duntaxat rem rusticam amplexi sunt, ad nauandam operam summo mane excitat, atq; ad iter faciendum vehementius com pellit, eosdem interea robustiores valentioresq; reddit. nam quæcunq; tam in vrbe, quam in agro geruntur suo tempore, eadem q̄ commo dissima, q̄q; opportunissima cadere consueuerunt. preterea siue equo quis suæ patriæ presto esse ad auxilium cupit, ad nutriendum equū res rustica maxime idonea est: siue pedibus, nihil est quod magis vegetum corpus exhibeat. eadem ijs, qui venandi studio tenentur, terram suppeditat, qua quidem dum canibus victum facilem sufficit, dum ferarum copiam subministrat, alacriores interim reddit ad uena tionis labores perferendos. nec vero minus equi, canesq; agrum iuuant, q̄ ipsi ab agricultura iuuantur. nam et equum si cures, ipse te contra matutino tempore ad studia et negocia gestare cōsueuit; facitq; tibi potestatem ab ijsdem serius discedendi; et canes solent

*feras arcere, ne aut frugibus, aut pecudibus noceant, securitatémq; etiam in solitudine præbere. terra quoq; dum in medio parit, alitq; fruges, quas victori capere liceat; agricolas, vt regioni armati subueniant efficit promptiores; quæ porrò ars alia ad cursum, ad iactum, ad saltum, aptiores magisue idoneos præbet, quàm res rustica? quæ autem colentibus se, plura vicissim largitur? aut quæ suauius eum, cui ipsa sit curæ, accipere solet, quàm ea, quæ accedenti ad se porrigit, quid quid est, cuius quis indigeat? vel quæ alia liberaliori hospitio accipit peregrinos? per hyemem vero aut largo igne, aut calidis lauationibus vti, quo tandè in loco et facilius, et amplius possis? quo per æstatem aut aquis, aut flatibus, aut vmbris suauius, quàm in agro? quæ autem res alia Dijs, aut magis aptas, conuenientesq; primitias, aut festorum dierum copias vberiores ostentat? quæ vero, aut seruis charior, aut vxori iucundior, aut liberis optatior, aut amicis magis grata? mihi quidem valde mirum videtur esse vllũ ingenuum hominem vnquàm, hac vna re aut iucundius quidquàm posse adisse, aut suauius quod curaret inuenisse, aut quod vitæ magis conduceret. terra præterea dum vult eos aliquid discere qui possunt, iustitiam ipsa docere non desinit: eos enim, qui diligentissime ipsã coluerint, quàm plurimis bonis vicissim afficere consueuit. quod si quãdo crebris exercitibus euenit, vt fructu laborum suorum priuentur agricolæ, tum illi, qui et acri et strenua disciplina instructa egregie ad laborem gerunt, et animos, et corpora, possunt facile (nisi Deus prohibeat) in eorum regiones ingressi, à quibus ipsi prohibentur, illinc, ea quibus nutriantur vicissim accipere. Sæpe autẽ in bello etiã tutius est armis victum quærere, quàm rusticis instrumentis. etiam id docet agricultura, quemadmodum sibi inter se ad auxilium præsto sint. nam et ad bella cum hominibus ire oportet; et ipsa terræ tractatio cum hominibus est. itaq; et eum, qui boni agricolæ officio sit functurus, operarios oportet comparare, et alacres, et ad parendũ anis*

matos; et eũ, qui ducem se in bello præbet, tali vti sollertia ac prouidentia, vt et donis munerans eos, qui bene et strenue se gerũt; et supplicijs eos afficiens, qui contra; vtrosq; reddat meliores. sæpe etiam non minus necesse est, vt agricola operarios hortetur, quam ne milites imperator. neq; optima spe replere seruos minus est opus, quàm liberos. quin etiam longe magis, vt maneant non inuiti. et sanè etiam ille probè locutus est, qui dixit, agriculturam matrem ac nutricem esse aliarum artium. nam vbi cum illa bene agitur, reliquæ item artes vniuersæ incolumes seruantur: vbi vero terra vel neglecto vel sublato cultu, cogitur horrere, etiam aliæ artes extinguuntur ferè et in terra et in mari. Hæc quum audiuisset Critobulus, At qui, inquit, bene sanè mihi ista omnia videris dicere ó Socrates. verum haud te præterit eorum plurima, quæ ad rem rusticam pertinent ab homine prouideri non posse: nam et grandines, et pruinæ nõnunquã, et siccitates, et immoderati imbres, et rubigines, et alia eiusdem generis multa, ea sæpe nobis auferunt, quæ ipsi bene et prouisa habuimus et effecimus: pecudes etiam interdum quãuis egregie auctas, atq; enutritas, repente adueniens morbus cũ maximo nostro malo deleuit. Quæ Socrates vbi audiuit, tum sic ait, at ego, ò Critobule, putabam te scire Deos non minus in ijs quę ad rem rusticam, quàm in ijs, quæ ad bellum pertinent, dominari: et sanè cernis, vt arbitror, eos qui in bello versantur ante bellicas actiones supplicare solitos Dijs, et ab ijs per sacrificia atq; aues sciscitari quid facto opus sit, quid item contra. pro rusticis autem actionibus atq; operibus Deos placari oportere non putas? at qui scito, inquit, quemuis prudentem tam pro humidis, quã pro aridis frugibus, item pro bubus, equis, pecudibus, deniq; pro omnibus quæcũq; possideat, Deos colere ac venerari. At enim ista quidem, ò Socrates, egregie mihi, inquit, dicere videris, qui iubes nos dare operam, vt sine Dijs nullum opus inchoare audeamus, vtpote quum Dij non

minus in ijs, quæ ad pacem atq; ocium pertinent, q̄ꝫ in ijs quę ad bellum, dominentur. hæc igitur ita vt dicis facere conabimur: sed tu iam inde ab ijs profectus quæ de re familiari dicere nobis aggressus reliquisti, cura vt quæ sequuntur absoluas. nam etiã nunc mihi videor postq̄ꝫ omnia audiui quæcunq; a te dicta sunt, ame plius aliquanto q̄ꝫ nuper intueri, quid me in vita facere oporteat. Tum Socrates, quid igitur, inquit, num ea primum repetimus, quæ cum assensu inter nos nuper tractauimus, vt si quo modo possumus, ea itidem quæ restant cum assensu percurramus? Et Critobulus, id vero, inquit, suaue admodum fuerit, vt qui pecunias in commune contulerunt, sine controuersia inter se solent transigere, sic nos qui sermonem conferimus, de quibuscunq; disputamus, ea vicissim assentiendo inter nos, commentemur. Tum Socrates, iam primum ergo, inquit, certę scientiæ nomen res nobis familiaris visa est esse. hanc vero scientiam illam esse censebamus, qua singuli homines rem suam familiarẽ augere possent. res porro hæc familiaris singulorum, idẽ nobis esse videbatur quod possessio uniuersa: possessionẽ autẽ dicebamus esse quidquid vnicuiq; vtile esset ad vitam: et vtilia esse illa omnia compertũ est à nobis, quibuscũq; quis vti sciret. omnes vero artes, neq; fieri posse, vt ab vno quouis discerentur nobis placebat, et à ciuitatibus improbari excludiq; eas, quę sordidæ vocantur, propterea quod ab ijs, et lædi labefactariq; corpora, et frangi animos putaremus. cuius rei certissimum illud indicium afferebamus, si quis quum hostes regionem nostram inuasissent, diuersis locis considere iubens agricolas atq; opifices, seorsum vtrosq; interrogaret, vtrum malint, regioni succurrere, an relicto agro mœnia tutari; futurum, vt qui in agrorum cultu occupati essent, succurrendum esse responderent; opifices vero contra, neutiq̄ꝫ esse pugnandum, sed quod vnum didicissent, id sibi videri esse faciendum, vt extra labores atq; pericula sedes

*rent. itaq; censuimus bono, atq; ingenuo viro tractationem, scientiamq; agrorum egregiam, atq; præclaram esse oportere; vnde necessaria ad victum sibi homines sufficerent. hanc enim tractationem placebat, et ad discendum facillimam esse, et ad exercendum iucundissimam, et corpora hominum, tum pulcherrima, tum valentissima præstare; animis autem nullum prorsus ocium concedere; amicorumq; et patriæ studiosam in primis inueniri. placebat etiam nobis agriculturam esse, qua strenui forteśq; redderentur, quippe quæ extra munitiones atq; oppida, et necessaria ad victum gignere, et eos qui sibi ipsi operam tribuant alere consueuerit. proinde in maxima quoq; gloria apud ciuitates hoc vitæ genus haberi; quod ciues et optimos et beneuolentissimos communi patriæ suppeditaret. Et Critobulus, iam illud, o Socrates, abunde satis a te, inquit, mihi videor didicisse, et pulcherrimam et optimam et suauissimam vitæ rationem ab agricultura petendam esse. quod autem dixisti, te causas comperisse, cur alij quidem ex ijs qui rei rusticæ operam dant, ita se gerant, vt ex ea abunde capiant, quæcunq; ad viuendum necessaria sunt; alij vero ita, vt ipsis inutilis agricultura reddatur; horum sane vtrunq; ex te iam nunc puto me cum magna voluptate auditurum; vt videlicet quæ bona et vtilia sint ea faciamus; quæ contra, hoc est noxia, vitemus. Tum Socrates, quid ergo? inquit, si tibi a principio narrem, o Critobule, quemadmodum olim virum conuenerim, qui mihi re vera vnus ex ijs esse videbatur, qui iuste appellari solent eo nomine quod est, vir egregiusq; et frugi. Et Critobulus, istuc ipsum adeo ex te, inquit, libenter audiuerim. nam ego quoq; istius nominis dignitatem vehementer affecto. Et Socrates, dicam igitur tibi, inquit, quemadmodum etiam mihi contigerit, vt et uiserem illum, et contemplarer. nam bonos quidem fabros aut tignarios aut ferrarios, ut viserem; item pictores aut statuarios, aliosq; eiusdem generis bonos*

artifices, aliquid temporis fateor mihi concessum est: sed ita breue atq; angustum, ut non satis et obire singula, et intueri, quae illi egregia opera elaborassent, potuerim. at interim eos vt spectarem qui tam graue nomen obtinuissent, quam hoc ipsum est, quod dicimus egregiumq; et frugi; discerem quid nam id esset, quod dum agunt, digni qui ita vocentur, existant; adire conuenireq; eorum aliquem animus mihi vehementer cupiebat. itaq; primum omnium quoniam egregio adiungitur frugi, quencunq; egregium inspexerã hunc adibam, atq; explorabam diligenter, num in eo frugi videretur adiunctum egregio; neq; id tamen ita se habere comperiebam; sed animaduertebã quosdam forma quidem, atq; habitu corporis egregios, animo autem valde flagitiosos. placuit ergo istos aspectu egregios omittere; atq; ad eorum quempiam adire, qui, iuncto vtroq; nomine egregijq;, et frugi appellantur. quum igitur audiuissem Iscomachum ab omnibus et viris et feminis, et peregrinis et ciuibus egregiumq; et frugi appellari solere, deliberaui hunc ipsum pro viribus et adire et colloqui. olim ergo illum in Iouis liberalis porticu sedentem conspicatus, quum ociosus mihi esse videretur, propius accedere decreui. itaq; illi assidens in hunc modũ locutus sum. quid istuc est, ò Ischomache, quod qui non multum ociari consueueris, nunc sedere animum induxeris? plurimum quippe te aut aliquid agentem videre soleo, aut non sanè admodum ociantem in foro. et Ischomachus, ò Socrates, inquit, ne nunc quidem vidisses, nisi quosdam hic hospites expectare constituissem. tum ego, per Deos quaeso, inquam; quo tempore nihil istiusmodi agis, quibus in locis degis, aut quid tandem moliris? aueo enim ex te audire, quid nam id sit quod dum agis egregiusq; et frugi appellaris. neq; enim intus commoraris aut desides, vt arbitror; quando tui corporis habitus, nihil tale significat. et Ischomachus quum risisset me videlicet rogantem, quid nam id esset quod dum ageret, egregiusq; et frugi diceretur,

*quumq; eo ipso delectari mihi visus esset; at ego, inquit, vtrum, qui de me tecum loquuntur, me vocent hoc nomine, prorsus ignoro: neq; enim si quando me aut ad stipendium triremi soluendum, aut ad sumptum choro suppeditandũ arcessunt; tum quisq̃ me egregiumq; et frugi appellat; sed plane me patrio nomine Ischomachũ vocant. quod vero me rogasti, quid agam; scito me neutiq̃ intus commorari: ad ea enim quæ mihi in domo sunt administranda satis superq; idonea est vxor. at qui istuc ipsum est, inq̃ quod ego ex te, o Ischomache, admodum libenter audirem: vtrum ipse illam reddideris talem præceptis tuis, qualem esse oportet, an a parẽtibus acceperis probe doctam, et ea administrare scientẽ, quæ ipsi cõueniant? et quo tandem pacto, inquit; o Socrates, illam probe, vt dicis edoctam acceperim? quæ nondum annos quindecim nata, ad me ducta est? annos vero priores ita vixerat sub parentum custodia, vt per exiguum quiddam intueretur; paucissima essent quę audiret; longe vero pauciora sciscitaretur? an non tibi satis est, quod vnum illud docta venerit? quemadmodum sumpta lana vestimentum conficiat? ac præterea, vt lanificium, quod quidẽ munus ipsa obseruauerit, ancillis distribuat? nam quæ ad ventrem gulamq; pertinent ea, inquit, bene admodum edocta ad nos venit; quod vnum mihi et viro et mulieri omnium documentorum maximum esse videtur. tum ego, cætera ne ergo, inq̃, o Ischomache, ipse illam ita docuisti, vt ad ea curanda, quæ oportet, idonea existeret? minime sane ita viuam, inquit, Ischomachus, nisi prius, et sacrificauerim, et vota fecerim, vt res bene caderet vtriq;, et mihi illam docẽti, et illi discenti quæcunq; amborum rationibus maxime conducerent. ergo, inquam, et tecum sacrificauit vxor, et tecum eadem istęc vota fecit? illa vero, inquit, Ischomachus, multis etiam verbis apud Deos professa futuram se qualem oportet; et aperte quidem præseferebat, vultuq; indicabat nõ se neglecturã, quæ didicisset. per Deos quæso,*

Inquam ego, o Ischomache, narra mihi primum illud, quod docere illam cœpisti. Ego enim te narrantem mihi talia libentius audiuerim, quam si mihi, aut gymnicum, aut equestre certamen, et illud quidem pulcherrimum, referres. ad hæc Ischomachus in hunc modum respondit. quid istuc autem, inquit, o Socrates? nempe vbi mihi iam et tractabilior et mansuetior esse cœpit, adeo ut familiarius eam allo qui possem, tum illam his verbis rogaui: dic mihi inquam, o mulier: etiam ne intelligis cuius rei gratia vel ego te acceperim, vel tui te mihi parentes tradiderint? quod enim non deessent quibus cum nostu cubaremus, ne te quidē vllo modo ignorare arbitror. sed enim quum et ego pro me ipso, et tui pro te parentes cogitaremus, quē nam socium maxime frugi, et familiæ, et liberorum nobis ipsis adsciscceremus, tum et ego te, et tui parentes me, quantū suspicari licet, delegerunt. cæterum liberos quidem, si quando nobis Deus dabit, tunc primum inter nos commentabimur, qua ratione illos optime instructos habeamus. si quidem vtriq; nostrum commune hoc bonū futurum est, vt quam optimos, tum periculorum socios, tum senectutis adiutores nobis ipsis comparemus. res autem hæc familiaris iam nunc communis nobis facta est: nam et ego omnia, quæcunq; mihi sunt, et tu tua, quæcunq; huc attulisti in commune cōtulimus: neq; illud magni facere oportet, quis nostrum numero plura contulerit: sed illud quam certissime exploratum habere, vtercunq; nostrū melius in hac societate se gesserit, eum et plura et meliora contulisse. ad hæc omnia mihi, o Socrates, mulier respondit: et qua tandem in re, inquit, ego tibi sim utilis? aut quæ meæ hic sunt partes? enim uero in te omnia consistunt. meum autem munus esse à matre olim edocta sum, pudicitiam modestiamq; seruare. recte sane, inquam ego o mulier. nam idem ego quoq; a patre. sed tam uiri cupientis seruare modestiam interest, quam fœminæ, ita rem gerere, ut bona quæ nunc adsunt, quā optima reddantur, et alia quæ non adsint, ex ho

nesta,

nesta, iustaq; ratione illis addantur. et quid quaeso vides, inquit illa, quod ego si faciam, rem familiarem augere tecum possim? Nimirum, inquam ego, quaecũq; et Dij te posse dixerunt; et iura ipsa cõmendant, ea da operam, vt quàm optime geras. et quae tandem ista sunt? inquit illa. puto ego quidem, inq̃, haec esse, quae neutiq̃ minimo pretio aestimanda sint, nisi forte etiam apud apes ea, quae est princeps examinis, rebus minimi momenti praefecta est. mihi enim, ò mulier, inq̃, vel Dij ipsi videntur admodum consyderate in primis hoc iugum comparasse, quod maris ac foeminae dicitur, vt ipsum etiam sibi vtilissimum foret in hac vitae societate. nam primum omnium, ne animaliũ genus deficeret, vt hoc iugo inter se copularentur ad sobolem propagandam, institutũ esse videtur. deinde vt homines haberent, qui ipsos in senectute nutrirent. praeterea licet victus hominibus non, vt iumentis, sit sub Dio, sed ipsis plane aliquo tecto sit opus: at eosdem tamen habituros quid sub tectum comportarent, habere alios oportuit, qui, quae sub Dio opera facienda erant, tractarent. aratio quippe, et sementis, et consitio, et pastio, aliaq; eiusdem generis vniuersa, non alia, q̃ sub Dio, exigunt loca. at enim ex ijs ipsis, quaecũq; ad victum pertinent omnia omnino parari solita sunt. rursus autem vbi in clausum aliquem locum haec comportata fuerint, tum et eo, qui illa ipsa conseruet, est opus, et eo qui tractet atq; exerceat quaecunq; opera clauso ac tecto, dum fiunt, indigentia sunt: tecto autẽ indiget ipsa liberorum à teneris educatio. indigent etiam quae ad alendam vitam necessaria ex frugibus conficiuntur; vt panis, aliaq; generis eiusdem. nec diuersa est ratio vestimentorum, quae ex lana texuntur: tecto enim similiter indiget. quum autem horum munerum vtrunq; curae ac diligentiae maxime indigeat, et quod intus inq̃, et quod foris geritur, naturam quoq; mulieris, vt ego quidem arbitror, ab initio comparauit Deus ad ea quae tractantur, curanturq; intus, magis idoneam. nam ad frigora quidem, et calores, et itinera, et labores militares, et alia

eiusdem generis toleranda, et corpus et animum viri magis idoneum comparauit. quare illum etiam ijs, quæ foris gerenda, tractandaq; essent, maxime præfecit. mulieri autem quum minus robustum corpus fabricasset Deus, eius curæ, vt mihi quidem videtur, ea quæ intus erant gerenda, cõmisit. qui etiam vbi vidit se mulieri, et ingenuisse et imperasse infantium liberorum educationem, eidem tribuit, vt teneros illos vehementius diligeret, q̃ vir. et quoniã vt seruaret, quæ in ædes comportata erãt, mulieri imperauerat, videns Deus timorem animi ad conseruandum non futurum inutilem, maiorem timoris partem mulieri assignauit, q̃ viro. item videns si quis ei vim afferret, qui quæ foris gerenda essent, curaret, futurum vt is opis atq; auxilij indigeret, huic rursus plus audaciæ largitus est. et quoniam ambos et dare et accipere multas res oportebat, ambobus et memoriam et curandi diligentiam in medio proposuit, vsq; adeo, vt compertum ac distinctum planè habere non possis, vter sexus, virilis ne, an muliebris huiusce muneris maiorem consecutus sit partem. tametsi ijsdem rursus virtutem, qua possent animo vincere ea, quæ oportet, in medio posuit: atq; ijs ipsis tamen in rebus vtriq; concessit Deus, alterius superandi potestatem: vt videlicet vtercũq; eorum melius se gessisset, siue vir, siue mulier foret, is huiusce boni ampliorem ferret partem. quoniam vero ad omnia hæc non satis idonee natura vtriusq; comparata fuerat, idcirco etiam vterq; alterius ope indigere coactus est, vt eiusmodi iugum sibi ipsi vtilius euaderet; dum videlicet in quo alterum deficit, in eo alterũ præsto esse non recusat. quum autem hæc, ô mulier, planè cognita habeamus, quæ vtriq; Deus imperauit; ea vtrunq; nostrum oportet conari pro viribus probè effecta reddere, quæ vtriq; conueniat. hæc porrò eadem nobis etiam iura ipsa commendant; quippe quæ coniugio inter se componant virum et vxorem. nam quemadmodum eos Deus in societatem liberorum vocauit, ita et iura societatem inter eos esse voluerunt. et quæ pulchra, honestaq; esse, iura ipsa constituunt, eadem ab vtroq; magis

præstari posse etiam Deus ipse decreuit. nam mulieri quidem manere intus honestius, q̃ pro foribus sedere: viro autem contra, manere intus est turpius, quam ea curare, quæ gerenda sint foris. quod si quis præterq̃ quod Deus iussit, quidq̃ agit, fortasse, dum ita ordinem suũ deserit, Deos ipsos non latet. quinetiam sæpius dum ea negligit, quæ sui muneris sunt, aut ea curat et gerit, quæ ad mulierem potius spectant, meritum supplicium soluit. videtur autem mihi, inq̃, etiam apis ea, quæ reliquis apibus præest, istiusmodi à Deo instituta atq; imperata munera obire. et quæ tandem, inquit illa, munera obit dux apum, ijs similia, quæ me quoq; administrare, curareq; oporteat? nempe, inq̃ ego, quod dum illa intra suum alueare se continet, reliquas apes non permittit ocio torpescere: sed quæ foris gerendarum rerum onus sustinent, eas ad opus emittit. et quidquid singulæ domum comportant, id ipsa et nouit; et allatum accipit: vniuersumq; conseruat, quoad vtendi tempus adueniat. vbi autem eiusmodi aduenit tempus, quo ijs, quæ parta conseruataq; fuerint, vti oporteat, tum vnicuiq; distribuit, quod sibi iustum esse videatur. cæteris etiam intus conficiendis præest, vt quemadmodum oportet bene ac mature conficiantur: et eorum quæ nata sunt curam ipsa sustinet, vt sedulo nutriantur. vbi autem illa creuerunt, ad idq; peruenerunt et roboris et ætatis, vt iam ad opus faciendum idonea sint, tum ea quasi in colonias emittit, vt suum ipsa quoq; ducem sequentia, aliò se conferat habitatum. num quid ergo me, inquit mulier, ista item facere oportebit? Oportebit vero, inq̃ ego, te et intus manere, et quorum seruorum sit munus foris aliquid gerere, eos ad suum quenq; opus emittere: quos vero aliquid intus tractare oporteat, ijs velut magistrum præesse: præterea accipere quæ domum allata fuerint. si quæ vero eorum in sumptum erogare opus erit, ea tibi erunt distribuenda: sin aliqua erunt, quæ supersint, tibi prouidendum, cauendumq; erit, ne qui sumptus in annum sit destinatus, is tibi in mensem vnum impendatur. vbi autem ad te lana allata fuerit, tum tibi cu-

randum erit, vt ijs qui indigeant, vestimenta conficiantur. Curabis item, vt qui exaruerit panis, is id vescendum aptus reddatur. Caeterum quum multa sint, quae te curare oporteat, vnum omnium fortasse iucundissimum, gratissimumq; fuerit, vt quicunq; ex familia in aegritudinem, morbum ue inciderit, ei quam diligentissime quaecunq; ad curandum, et sanandum necessaria putantur, praesto sint. id scilicet, inquit mulier. gratissimum enim sit necesse est, si quidem ij gratiam habituri sunt, beneuolentioresq; futuri, quam ante, quibus haec curationis sedulitas impensa sit. et ego, inquit Ischomachus, illius responsionem admiratus, animoq; complexus, nonne ergo, inquam, o mulier, propter istiusmodi curationes, quas illa suscipere consueuit, quae in alueari dux est, apes erga illam ita animatae sunt, vt si quando illa defecerit, nulla apum reliquarum deserendam ducem existimet, sed omnes illam sequantur? tum mulier mihi in hunc modum respondit. miror, inquit, si non omnia quae ad ducem spectant munera, tui potius sint iuris, quam mei: mea enim custodia, meaq; distributio vel risu, vt ego quidem arbitror, digna fuerit, nisi tu praesto sis et cures, vt in aedes multa extrinsecus vndiq; comportentur. risu rursus digna sit, inquam ego, omnis mea domum conferendi cura, nisi quispiam sit, qui ea, quae domum contulerim, conseruet. an non cernis, inquam, vt miseratione quadam digni putentur, qui cribro haurire aquam dicuntur, propterea quod omnis illorum labor sit inanis? istuc vero, inquit mulier: etenim re vera miserabiles sunt, sit qui tale quidpiam agunt. et ego, alias, inquam, curas; quae ad te vnam pertinent, ô mulier, etiam iucunditatem tibi allaturas video; vt si quando imperitam lanae tractandae quampiam domi tuae offenderis, eam eius artificij peritam reddas, ac duplo deinde maiore pretio dignam penes te habeas. Item si forte eam, quae neq; dispensandi, neque ministrandi vsum calleat, in familiam assumpseris, peritam fidelemq; ministram reddens ipsa, omni posthac pretio atque aestimatione chariorem possideas. Item quoties, qui tibi et probi et vtiles multumq; iuuantes familiam visi fuerint, eos tibi

*licere præmijs afficere intelliges; et rursus, quos prauós ac nequã offenderis, eos à te puniri posse animaduertes. Illud autem omniũ iucundissimum tibi accidet, si meliorem præstantioremq́;, quã ego sum, te ipsam præstiteris, meq́; tibi quasi tuum administrum reddideris. neq́; tibi posthac sit timendum, vbi ætate longius prouecta fueris, domi tuæ abiectior habearis; sed certum habeas, si quando maturior tibi ætas contigerit, quanto et mihi consors optabilior, et communibus liberis rei familiaris custos præstantior extiteris, tanto te honoratiorem domi tuæ futuram. quæ enim egregiaq́; et frugi ab hominibus appellantur, ea non ætatis maturitate aut specie, sed animi virtute atq́; præstantia, qua vita hominum iuuetur, incrementum accipiunt. Hæc mihi tenere memoria videor, ò Socrates, quibus ego tum primum illam allocutus sum. Tum ego, num animaduertisti, inq̃, ò Ischomache, illam ex ijs verbis ad sedulitatem ac diligentiam alacriorem effectam? illam vero maxime, inquit Ischomachus. etiam tacite morderi illam sentiebam, valdeq́; erubescere, si mihi eorum, quæ in ædes lata fuissent, aliquid nequiret postulanti depromere. proinde quum mærentem illam ego vidissem, noli quæso, inq̃, ò mulier, propterea ægro animo esse, quod quidquid à te postulem, mihi præstare non possis. est quidem ea paupertas certissima, quum quispiam quo indiget, eo vti nescit: sed indigentia illa, qua quispiam id inuenire, non potest quod quærit, longe molestior, quàm si quod planè sciat non esse, id ne ab initio quidem quærat. sed enim, ego inq̃, tua ista culpa non est, sed mea, qui quæ tibi conseruanda tradidi, non certum ijs adhibui ordinem, vt scires, quis cuiq́; rei conueniens locus, vbi videlicet singula reponere, item vnde accipere oportet. porrò autem nihil est, ô mulier, tam vtile, tamq́; honestum hominibus, quàm ordo. nã et chorus ex hominibus constat: verum si quod singulis fors ferat, id singuli agant, perturbatio quædam existat, resq́; admodum iniucunda spectatu: at si certo ordine agant,*

pariterq; sonos vniuersi fundant, ijdem illi et spectatu iucundissimi, et auditu suauissimi sentientur. etiam exercitus si nullo ordine feratur, perturbatissimum quiddam apparebit, et hostibus quidem captu perquã facile, amicis autem admodum indecorum visu atq; inutile. iumentum pariter incedens, et scutatus pedes, et calo; et cum milite leuis armaturæ eques, et cũ equite plaustrum. quo enim modo pergant, qui sic sibi ipsis impedimento sint, gradiens currenti, currens stanti, plaustrum equiti, iumentum plaustro, calo pediti scutato? quod si etiam pugnandi necessitas veniat, quo nam modo ij, qui tanta confusione teneantur, pugnaturi sint? quibus enim fugere inuadentes, atq; instantes necesse sit, ab ijs fugientibus facile fieri potest, vt conculcentur, qui arma ferant. at exercitus, cui adhibitus sit certus ordo, amicis quidem res visu pulcherrima, inimicis autem atq; hostibus molestissima. quis enim amicorum non iucunde contempletur magnũ scutatorum peditum numerum ordine certo incedentem? quis vero non admiretur equites, qui seruantes ordinem, equis inuehantur? quis autem inimicorum atq; hostium non horreat, videns planè distinctos, pedites, equites, peltis armatos, sagittarios, funditores, et omnes suum quenq; ordinatim sequentes ducem? quinetiam eorum, qui certo ordine incedunt, quamuis multa millia ferantur, omnes tamen non secus incedunt silentio, ac si illorum ipsorum vnusquisq; seorsum incederet. In id enim semper quod vacuum relinquitur à prioribus, à tergo posteriores succedunt. et triremis præterea honusta refertaq; hominibus, quã aliam ob causam, vel hostibus terrori, vel amicis voluptati est ad intuendum, nisi quod fertur celeriter? et quid nam est aliud, quod efficiat, vt qui eadem naui ferantur sibi inter se impedimento non sint, nisi quod semper certum ordinem seruant, dum sedent, dum propendent remigantes, dum relabuntur, dum in nauim conscendunt, dum descendunt de naui. id autem, quod est procul ab ordine, mihi simile videtur esse, vt si agricola in eundem aceruum congerat ordeum, tri-

*ticum, legumen; deinde si quando sit opus, aut pulte, aut pane, aut obsonio, secernere singula cogatur, quum facile sumpturus vnumquodque fuerit, si distincta collocasset. Cæterum tu, ô mulier, istiusmodi confusionis ne vnque cupida sis: sed da operam, vt certum scias ac teneas qua ratione, quæ adsunt, singula disponas et colloces. tum ex iisdem facile sumere possis, si quo vsi sit opus, et mihi si quid postulem, afferre cum gratia. proinde sedem exploremus, quæ conueniens singulis, atque apta sit; et quum ibi posuerimus, tum ipsam ministram moneamus, vt et inde sumat, et ibidem reponat. itaque certum scire poterimus, et quæ salua sint, et quæ minime. hæc enim sedes si quid deerit, id ipsum desyderabit: si quid vero erit, quod curatione aliqua indigeat, aspectu vestigabitur: et ipsa cognitio locorum, in quibus singula reposita erunt, cito subministrabit, vt ne, quum vtendum re aliqua sit, tum eam cũ magna molestia quærere cogamur. pulcherrimum autem quondam, at ad vnguem elaboratum ordinem supellectilium atque vasorum mihi videre visus sum, ô Socrates, quum in magnũ quoddam nauigium Phænicium spectandi gratia conscendissem. plurima enim supellectilia intra receptaculum valde exiguum distincte collocata animaduerti. multis quippe, inquit, et ligneis videlicet, et intextis instrumentis, nauis et impelli, et retro agi solet, multis item aliis, quæ pensilia vocant, quum in mari est, fertur, et multis machinationibus aduersus inimica nauigia munitur; multa etiam arma vnà cum ipsis hominibus vehit; omnia præterea vasa, quibus vtuntur homines, quoties vescendi gratia conueniunt, fert. in primis autem referta est sarcinis, quascunque ipse nauis dominus vehit lucri gratia. et hæc omnia quæ dico, non multo maiore spatio continebantur, quàm fuerit lectos decem iusta dimensione complexa cœnatio. singula autem ita disposita obseruaui, vt neque sibi essent ipsa impedimento, neque exploratore ad ea inuenienda esset opus. nec vero illa erant incõposita, nec si dissolui oportuisset, propterea quod aliquis aliquo eorum vti confestim cogeretur, dissolu-*

*uenti aut negocium exhibuissent, aut moram. ipsum autem guberna natoris ministrum, qui proreta nauis vocatur, usq; adeo singulorum locorum peritum inueni, vt etiam absens et situm singulorum, et numerum omnium commemoraret, non minus facile, quàm litteratus quispiam dixerit in Socratis nomine, et qui numerus litterarum, et quem singula locum teneant. porrò hunc ipsum, inquit, vidi etiam per ocium omnia explorantem, quibuscunq; in naui vti plerunq; est opus. et quum inspectionem illam mirarer, hominem rogaui quid ageret. tum ille, Inspicio, inquit, ò hospes, num ea quæ in naui sunt, si quid forte accidat, suũ teneant locũ, vtrum ne aliquid absistat longius, an ita congestum sit, vt non sine difficultate possit explicari. non enim, inquit, quũ Deus tempestatem in mari ciet, tum fas est aut diu quærere, si cuius indigeas, aut porrigere, quod difficulter loco possit moueri; tunc enim minitatur Deus, et castigat ignauos: quod si etiam eos, qui non peccauerint, haud perdat, satis superq; sit. si vero eos, qui egregie quod ad se attinet, præstiterint, conseruet, vel plurima, inquit, gratia. Ego igitur hanc instructæ supellectilis exquisitam diligentiã cõspicatus, dixi vxori: magnæ quidem, ô mulier, inertiæ, quod ad nos attinet, condemnandi simus, si qui in nauigijs degunt, et illis quidem paruis, collocatarum à se rerum sedes inueniunt, et vehementer fluctuantes, ordinem tamen conseruant, et licet in summo timore constituti, tamen id reperiunt, quod de multis vnum sumere oporteat: nos autem qui cellas ingentes distinctas, rebusq; singulis assignatas in ædibus habemus, et ipsam domum stabilem atq; in immobili solo fundatam, non rebus singulis et. perpulchrũ et admodũ cõuenientem atq; aptam sedem inueniamus. qui enim id non magnæ insipientiæ nostræ ac stultitiæ fuerit tribuendum? Cæterum vt nobis quidem sit bono, omnem domesticam supellectilem certo ordine collocare, vtq; facile inuenire quo pacto singulis rebus sedem in ædibus accõmodatam habeamus, dictum iam abunde est. quàm vero idem sit pulchrũ, facile appareat, si quando vel calciamenta ordine*

dine

dine collocata cernantur, qualiacunq; ea sint. pulchrum quippe ac iucundum est vestimenta, qualiacunq; sint, distinctis sedibus posita intueri. pulchrum item stragulam omnem vestem. pulchrum, quae ahëna vocantur. pulchrum, quae ad mensae pertinent apparatum. pulchrum etiam id quod omnium maxime irriserit, non grauitate quidem praeditus quispiam, sed is qui se bellum ac facetum dici velit. is enim non sine risu, numerosum item quiddam ac concinnum dixerit reddi, si etiam ollae distinctis locis positae esse uideantur. iam ex hoc autem quaecunq; alia cum ornatu apteq; disposita fuerint, pulchriora existent. omnia enim haec, si singula consyderentur, chori cuiusdam speciem, qui ex supellectilibus constet, prae se ferre videbuntur. quinetiam quod inter haec ipsa spacij uacat, pulchrum videri solet, quum ita singula suis locis teneantur, vt nulli sint impedimento: veluti chorus is qui cyclius appellatur, non ipse modo pulchrum quoddam spectaculum praebet, sed spatium quoq; intermedium quod purum vacuumq; relinquitur, pulchram admodum speciem offeret intuenti. vtrum autem vera ego dicam, ô mulier, experimento discere haud difficile est, non modo damni nihil facientibus, sed ne valde quidem laborantibus. ac ne ea quidem re conturbari nos oportet, quod is, cui et discere loca, et quae didicerit, meminisse necesse sit, cũ difficultate singula et inuenire et distinguere soleat. iam enim scire nos decet, quotcunq; ipsi possidemus, etiam si decies millies multiplicentur, ijs tamen plura ciuitatem continere vniuersam. attamen nemo est seruorum, qui si iubeatur è foro emptum quidpiam afferre, non sit illico facturus quod iusseris. omnes enim tali tempore videbuntur scire, quo sit pergendum, vt inde singula possint accipere. atqui huius quidem rei, inquã ego, aliam puto nullam esse causam, nisi quod omnia certis praefinitisq; locis exposita habeantur. at enim saepe numero qui hominem quaerit, et eum interdum qui vicissim quaerentem hunc alterum quaerat, ante fatigatur ac desistit, quã reperiat. cuius quidẽ difficultatis ego rursus nullam

esse aliam arbitror causam, nisi quod præfinitum nusquam sit, vbi singulos expectare oporteat. talia igitur de ordine ac vsu suppellectilium mihi memoria tenere videor me illi exposuisse. Tum ego, Ecquid, inquam, tibi visa est mulier, o Ischomache, ea quæ tanto studio illam docebas percipere? quam porro libenter obtemperatura? ecquid rogas? illa vero pollicita est omnia se omni diligentia curaturam. et plane vultu ipso ac gestu indicabat se vehementi lætitia affectam, quod quasi post inopiam ac difficultatem, nacta esset magnam et copiam et facilitatem. et rogabat me, vt quam celerrime ordinem sibi quem dixeram traderem. Et qua tandem ratione, inquam, ego, o Ischomache, istum tu illi ordinem tradidisti? qua alia, nisi mihi primum placuisse, vt facultatem illi et copiam domus ostenderem? non enim mihi varijs aut coloribus aut picturis ornata est, o Socrates. sed cellæ aliæque partes ita constructæ sunt, vt huius ipsius rei ratio habita sit, quemadmodum receptacula et vasa ijs rebus accommodatissima locari possint, quæ in illis sint continendæ, vt ad seipsa accire videantur, quæ conuenientia singulis sint. cubiculum enim loco tutiore situm ea quæ maximi pretij sint, et peristromata et uasa flagitare uidebatur. at quæ loca tecta, siccitate prædita erant, frumentum, frigidiora autem quæ erant, uinum, apertiora autem, quidquid operum aut uasorum lucis indigens est. idem ostendi etiam loca instructa et ornata quæ sumpturis cibum hominibus dicata essent, æstate quidem opaca et frigentia, hyeme autem, aprica, et tepentia. uniuersam porro domum eidem notam esse uolui, ut inspiceret quemadmodum ea uergeret, porrigereturque ad meridiem, vt plane appareret, hyeme quidem apricam fore, æstate vero vmbrosam atque opacam. ostendi etiam conclauis eius, quod solis fœminis dicatum esset, ianuam, vt ab eo quod solis viris assignatum separaretur intercedente balneo, ne quid eorum quæ non oportet, foras exportaretur, ne ue mancipia præter voluntatem nostram filios gignerent. nam qui ex seruis frugi sunt, ij si filios creent, sæpius

beneuolentiores, qui vero vitiosi et nequam, ij si coniuges fiant, pro-pensiores magisq; idonei ad malitiam et fraudem existunt. vbi autem hæc transigimus, inquit, tum etiã generatim supellectilem omnem se-cernere placuit, primaq; ea secreuimus quibus ad res diuinas vti so-lemus. deinde mundum muliebrem, qui ad dies festos pertineret. vestem item virilem, tum quæ festis diebus, tum quæ in bello sit vtendum. et stragula in vtroq; conclaui, tum eo quod fœminis, tum eo quod viris dicatum. calciamenta et muliebria, et virilia. ar-morum alius ordo. deinde instrumentorum plures ordines, ad lanam tractandam, ad panem conficiendum, ad obsonia, ad lauationes, ad farinam subigendam, ad mensas. hæc quippe omnia separatim con-gessimus, tum ea quibus semper sit vtendum, tum quibus in conui-uio atq; epulis duntaxat. seorsum etiam quæ in singulos menses im-pendenda essent posuimus, et seorsum quæ in annum destinata. nam sic minus fallit qui exitus futurus sit. postq omnia generatim su-pellectilia distinximus, tum in sedes singulis destinatas singula di-stribuimus. deinde quibus quidem vasis et instrumentis vtuntur fa-muli singulis diebus, vt ad panem conficiendum, vt ad obsonia, vt ad lanam, et si quid est aliud eiusmodi, ea illis tradidimus, qui ipsi essent vsuri, iisdem indicantes vbi reponere eadem oporteret, saluaq; referre, quæ acciperent præcepimus. quibus autem aut ad dies festos, aut ad hospites domi accipiendos, aut ad eas actiones, quæ longo in-teruallo repetuntur, est opus, ea vero ancillæ penuariæ assignauimus. et vbi sedes singulorum ostendimus, numerauimusq; et inscripsimus singula, tum eidem præcepimus, vt cuius quispiã indigeret, id vni-cuiq; depromeret: memoriaeq; commendaret cuinam quid dedisset, vt postea idem recipiens, illic rursus reponeret, vnde ipsa vnumquodq; sustulisset. ex ancillis autem eam huic ministerio præfecimus, quæ nobis visa est earum rerum, quæ ad ventrem, quæ ad vinum, quæ ad somnum, quæ ad consuetudinem cum viris pertinent, minime ap-

*petens. item quæ et meminisse et prouidere maxime posset: ne, si præceptorum negligentior foret, aliquid infortunij à nobis ferret. etiam quæ curaret vt nobis aliqua in re gratificans, iusto præmio atq; honore afficeretur. eandem docuimus charitatem, beneuolentiamq; erga nos seruare: dum, si quid læti nobis contingit, lętitias cum illa nostras communicamus, si quid vero aduersi, eandem ad hoc ipsum aduocamus. docuimus prætereà quẽadmodum prompto animo ipsam esse oporteret ad augendam nobiscum rem familiarem, inspectionem illi rerum cognitionemq; tradentes, nostramq; cũ illa in agendo fœlicitatem communicantes. iustitiam quoq; in illius animo ingenerauimus, dum iustis plus honoris deferimus quàm iniustis, dumq; eosdem ostendimus locupletius liberaliusq; viuere, quàm iniustos. ipsam vero in illa ipsa ædium parte collocauimus. postremo, inquit, vxorem ipsam ô Socrates, monui: nihil profuturum, quidquid eo modo prouideamus, nisi ipsa quoq; suam curam impenderet, quemadmodum singulis rebus suus locus suusq; ordo seruaretur: eandemq; docui ne in bene quidem institutis ciuitatibus satis videri ciuibus solere, si bonas duntaxat leges descripserint. sed eosdem ipsorum etiã legum præsides eligere et creare, qui obseruent, quisnã è ciuibus aut conuenientia legibus, aut aduersa faciat, vt priorem illum laudibus prosequantur, hunc vero alterum debitis pœnis afficiant. vxorẽ ergo, inquit, iussi, vt se item domesticarum rerum custodem ac præsidem esse existimaret. scrutareturq; quoties ipsi videretur supellectilia vasaq; omnia, quemadmodum solet præsidij præfectus explorare custodias: et inspiceret diligenter, num singula suum statum seruarent, quo pacto senatus equos atq; equites inspicere consueuit, num vitij aliquid fecerint. et reginæ cuiuspiam instar si quem dignum nacta esset laude honoreq; pro viribus et facultate præsenti afficeret. contra vero obiurgaret ac puniret, si quem minus præstantem ea, quæ oportet. docui prætereà illam, inquit, non iuste facturam, si grauius ferret quòd*

*ipsi plura quæ agerет in rebus nostris imperarem, quàm seruis. ostendi enim seruos tantisper domini rerum ac pecuniarum fieri participes, dum eas aut ferant, aut iuuent, aut custodiant. vti vero quapiam earum neutiquam eis licere, nisi si cui ipse herus concesserit. ipsius autem domini esse vniuersa, vnumquodque eum singulis vti ad arbitrium suum. ad quem igitur ex ipsis rebus si conseruentur, maxima vtilitas, si perdantur, maximum damnum sit venturum, ad hunc maxime curam earum pertinere, demonstraui. Quid igitur, inquam ego, ô Ischomache? quum ista audiuisset mulier, quàm tibi dicto audiens visa est esse? quàm audiens fuerit rogas? inquit. illa vero ô Socrates, mihi respondit, non recte sanè me decernere aut iudicare, si putarem me sibi, aut molesta, aut difficilia imperasse, dum ipsam doceo curare res nostras. cõtra enim si negligere ipsam imperassem res suas, futurum sibi, inquit, molestius, quàm, quod modo oporteat se domestica bona curare. nam quemadmodum natura, inquit, est comparatum, vt quæ sana prudensque sit, ea filios suos curet potius quàm negligat, ita eidem suauius ac iucundius fore putandum est, curare eas res quæ cum voluptate possideantur, et quæ ad se ipsam pertineant, quàm negligere. et ego quum audiuissem, inquit, tum Socrates vxorem illi talia respondisse, iuro, inquam per Iunonem, ô Ischomache, te mihi virilem mulieris animum narrare. at qui, inquit Ischomachus, aliud tibi gestum narrare volo, quod illius magnitudinem animi planissime indicet: quodque semel auditum illa illico arripuit, mihique imperanti paruit. quod nam istud est? inquam ego. dic quæso ô Ischomache. ego enim multo libentius, multoque iucũdius viuæ mulieris virtutem te mihi narrare didicerim, quàm si Zeuxis mihi pulcherrimũ à se depictam mulierem contemplandam exhibeat. hic itaque Ischomachus in hunc modum locutus est. ego, inquit, olim quum vidissem illam, ô Socrates, multa cerussa illitam, vt candidior insuper, quàm erat, videretur, multoque item anchusæ rubore perfusam, vt co-*

loratior q̃ erat re uera, putaretur, et calciamentis fultam celsioribus, vt procerior haberetur, quam natura ipsam creasset, dic mihi inq̃, ô mulier, vtrum me bonorum consortem amabiliorem censeres, si tibi ea duntaxat bona ostenderem, quæ re uera mihi essent, neq; plura me habere iactarem, quam quæ sine omni mendacio possiderem, nec item quidq̃ omnino te celarem eorum, quæ mea propria essent, an si conarer te decipere, affirmaremq; mihi plura esse, quàm veritas pateretur, adulterinumq; argentum ostenderem pro uero. moniliaq; etiam tibi ostentarem lignea quidem, sed quæ aurum tenuissimum occultaret, purpureasq; uestes inanes, ueras esse contenderem? tum statim respondens illa, Dij meliora, inquit, nullo tu unq̃ tempore obsecro talis existas. neq; enim ego te unq̃ si talis esses, amplecti aut diligere ex animo possem. at qui, inquam ego ea puto de causa ambo conuenimus, ut etiam corpora nobiscum inter nos communicaremus. istud quidem homines aiunt, inquit illa. tum ego, vtrum igitur, inq̃, tibi amabilior rursus corporis socius viderer, si præstare tibi meum corpus omni cura studerem, et bene valens et robustum, ac propterea etiã bono re vera colore præditum, an si minio pictus oculisq; purpurisso delibutis, et me ipsum exhiberem, et cum fraude tecum consuescerem, præbens scilicet minium tibi pro meo colore proq; mea superficie corporis et videndum et tangendum? Ego quidem, inquit illa, neq; miniũ attingerem libentius, quàm te ipsum, nec fictum vllum colorem suauius intuerer, quàm tuum; neq; oculos tuos iucundius contemplarer delibutos, quàm suapte natura valentes atq; integros. Et me igitur existimato, inq̃, ô mulier, neq; cerussæ colore, neq; anchusæ gaudere libentius, quàm tuo: sed quemadmodum Dij fecerunt, vt equis quidem equi, bubus autem boues; et pecudibus pecudes suauissimæ sentirentur, ita et homines hominis corpus iucundissimum esse arbitrari. fallaciæ autem istiusmodi eos quidem, qui foris versantur, ita forsitan possunt decipere, vt ab ijs non dea-

præhendantur. eos autem qui vnà esse assidue consueuerunt, depræhendi necesse est quoties se ipsi inter se decipere aggrediantur. aut enim cubitu surgentes, anteq̃ comparentur, detegi solent; aut sudor eos redarguit; aut lachrymæ explorant, atq; indicant; aut lauationes cuiusmodi sunt re uera inspiciendos exhibent. quid igitur quæso, inq̃ ego, per Deos? quid tandem ad ista respondit? nihil sanè, inquit. nisi post hæc nihil tale vnq̃ molita est. sed puram se, atq; vt decet, simplicem studuit semper ostendere. verũtamen rogauit, me num se docere aliquid possem, quo ipsa vere pulchra videretur, non tantummodo putaretur. Ego vero illi, ô Socrates, suasi, vt ne semper mancipij cuiusdam instar sederet. Sed Dijs fauentibus herili more, telæ assistens, quod alio melius sciret, ipsa alium doceret, quod autem peius, id ab alio addisceret. inuiseret præterea seruum pistorem. ancillæ penuariæ dimetienti ac distribuenti assisteret. obiret, singula inspiciens, num quo loco oportet posita consisterent. hæc enim duorum munerum vtilitatem explebunt, et ambulationis, inq̃, et curationis domesticæ. vtile præterea exercitationis genus esse dixi, et rigare et pinsere, et vestimenta ac peristromata excutere, componereq;. dum autem sic exerceberis, inq̃, senties te, et iucundius edere, et valere robustius, et meliori colore præditam haberi re uera. ipsius præterea dominæ aspectus quæ ministrantis ancillæ sibi officium assumat, quum ipsa sit et mundior et decentius ornata, tum mouet magis, tum delectat, præsertim quum illud accedat, vt ipsa non coacta deseruiat, sed libens ac sponte gratificetur. quæ autem vt honoratiores grauioresq; habeantur, totos dies desident, hęc præbent se ipsas vna cũ ijs adnumerandas, quæ ornatę et comptę decipiunt. et nunc sanè, inquit, ô Socrates, vxorẽ meam scito, ita comparasse se se atq; ita viuere, quemadmodum et ipsam tunc docui, et nunc tibi narraui. tum ego, ô Ischomache, inq̃ hactenus mihi satis abunde videor, quænam matris familias

*officia sint ex te audiuisse, et primum omnium de vtroq; vestrum quæ maximis digna sint laudibus. age igitur nunc item, inq̃, quæ item tua sint, mihi expone, vt et tu, dum narras ea quæ tibi laudem ac decus compararunt, læteris, et ego, dum eius viri, qui egregiusq; et frugi dicitur, munera cumulatius addisco, magnas tibi pro viribus habeam gratias. et Ischomachus, scilicet, inquit, etiam magna cum voluptate tibi, ô Socrates, narrabo quod nam meum sit vitæ genus, et quid in ea assidue faciam, vt etiam corrigas me, si quid tibi non, vt oportet, facere videbor. et ego, Qui mihi, inq̃, istuc liceat, iuste eum virum corrigere, qui summum eius sit adeptus, quod dicitur egregiumq; et frugi? præsertim quum ego sim vir qui et nugari et aerem atq; inane metiri existimer? et quod omnium stolidissimum mihi obijci videtur, pauper appeller? et vehementer sane, ô Ischomache, in multo mœrore fuissem propter huiuscemodi calumniam; nisi nuper, quum mihi equus Niciæ eius, cui aduena cognomen, obuiam factus esset, multos illum spectandi gratia consectantes vidissem, nonnullorumq; etiam multum de illo sermonem audiuissem. nam propius accedens, eius curatorem rogaui, num magnas haberet pecunias is equus? at ille intuens me, atq; ex ipsa interrogatione non satis sanum existimans, respondit: quid inquit, fieri potest, vt equus habeat pecunias? quod quidem ego quum illum sic dicentem audiuissem, mihi respirare sum visus: quippe qui fas esse viderim etiam equum pauperem, bonum esse, si modo is bono excellentiq; ingenio sit præditus. quare tanq̃ mihi quoq; liceat viro bono esse, ita tu iam tum mihi plenius narrato res tuas, et quæ in vita gerere solitus sis: vt ego item, quodcunq; audiens, videam me posse addiscere, a crastino die initium sumens, in eo te imitari aggrediar. est enim ita bonus is dies, inq̃ ego, vt in eo initium virtutis faciendum esse videatur. et Ischomachus, iocaris tu quidem, inquit, ô Socrates. ego tamen tibi narrabo, quæcunq; pro viribus exercens, vitam omnem*

*meam*

*meam conor transigere. etenim, quod mihi didicisse videor, Deos hominibus non permittere solere, vt fauste feliciterq; agant, nisi et nouerint ea quæ facere oportet, et eadem vt ad exitum perducantur atq; absoluantur, curauerint: eorum autem qui et prudentes et seduli sint, alijs quidem concedere, vt fortunati sint, alijs autem minime: propterea ego initium quidem à cultu Deorum sumere soleo. studeo autem et conor ita gerere meipsum, vt mihi precanti fas sit, et bonam valetudinem, et vires corporis, et honorem in patria, et beneuolentiam apud amicos consequi ac tueri, et diuitias honesta ratione augere. quod vbi ego illum dicentem audiui, tum curæ tibi, inquam, est, ò Ischomache, qua ratione diteris? an non multam habens pecuniam, multa etiam molestia ex illius curatione affici soles? mihi vero, inquit Ischomachus, curæ sunt ea quæ rogas. res enim mihi admodum iucunda videtur, ò Socrates, et Deos magnifice venerari, et amicis, si qui ex ijs sint, qui indigeant, subuenire, et patriam, quod ad me attinet, pecunijs ornare. et ego: sanè, inquam, ista quæ dicis, ò Ischomache, pulchra, honestaq; sunt, viriq; apprime potentis. quis enim id neget? nam multi quidem sunt homines, qui viuere nequeunt nisi alijs indigeant. alij vero satis habent, si ea quæ ad viuendum necessaria sunt, possint sibi ipsis duntaxat sufficere. qui autem possunt rem familiarem suam non solum moderari, sed etiam augere, vsq; adeo, vt et patriæ sint ornamento, et amicis auxilio, quando hos non et quosdam et bene ualentes viros putare oporteat? verumtamen ad laudandos quidem hos tales, inquam ego, plerique idonei sumus: tu autem, ò Ischomache, iam mihi vnde exorsus es, narres velim, quomodo valitudinem cures: quo pacto vires corporis tueāris: qui tibi sit fas ex bello incolumem tam pulchre euadere. nā de ratione pecuniaria, quum hæc primum absolueris, tum satis erit te dicere. atqui omnia hæc, inquit Ischomachus, vt ego quidem, ò Socrates, arbitror, sibi inter se connexa sunt, et cohærent. nam vbi quis*

tantũ cibi habet, quod sumat, quantũ satis est, tum ei recte fungenti labore, bona diutius valitudo constare posse videtur: qui autẽ labori se dedit, huic corporis vires magis augescunt: qui vero ea exercet ac tractat, quæ ad bellũ pertinent, hunc ex bello est pulchrius, conuenientiusq; euadere, quàm secus. at qui recte ac diligenter curat, neq; mollitie se frangi permittit, ab hoc probabilius est, rem familiarẽ augeri. tum ego hactenus quidẽ satis tibi, o Ischomache, assertior, dum ais hominem labori deditũ, et sedulo curantem ea quæ oportet, et exercentem se, facilius ea quæ bona sunt cõsequi. at enim quo laboris genere sit vtendũ ad bonã corporis habitudinem ac robur, et quo pacto ea, quæ ad bellũ pertinent exerceas, quá ue ratione cures, vt opes facultatesq; augeas, vsq; adeo, vt et amicis auxilio sis, et potentiorem patriam tuam efficias, hæc libenter, inquit ego, te mihi narrantem audiuerim. Ischomachus igitur, ego, inquit, o Socrates, tunc me ipsum e lecto surgere assuefeci, quum adhuc intus sum deprahensurus si quem habeo, quo mihi conuento sit opus: quod si quid in vrbe mihi sit agendum, id ipsum agens ac tractans, ea vtor ambulatione. sin autem nihil necesse sit quidquam in vrbe agere, tum puer equum mihi in agrum educit. eaq; mihi est ambulatio ipsum iter in agrum, melius fortasse, quàm si in xysto ambularem, o Socrates. vbi vero in agrum perueni, tum siue ibi offendam aliquos, qui mihi aliquid serant, siue qui terram proscindant, siue qui sementem faciant, siue qui fruges fructus ue colligant, ea ipse consyderans, quemadmodum gerantur singula, corrigo, si quid forte habeo quod melius videatur. postea vero frequens mihi mos est in equum ascendere, eaq; vti equitatione pro viribus, quæ illis equitationibus simillima sit, quibus plarunq; vti cogimur in bello. non transuersum enim quidquam, non decliue, non fossam, non riuum uitare soleo: quæ tamen dum facio, quantam interim maximam possum, operam do, ne mihi equus claudicans reddatur: simul ac uero hæc mihi perfecta sunt, puer equũ in harena uolutari per-

mittit, deinde domum adducit, ferens interim ex agro in urbem si quid sit, quo nobis sit opus. ego autem ubi partim incessu partim cursu domum me contuli, tum strigili utor, et si quæ mihi sordes adhæserunt, eas abstergo. deinde tantum prädij sumere soleo, quantum me neq; uacuum cibo, neq; admodum grauem degere totum diem sinat. et ego iuro, inq;, ô Ischomache, per Iunonem, ista quæ facis mihi grata, iucunda q; uehementer accidere. nam quod eodem tempore simul coniunctim q; et ijs fungaris muneribus, quæ bonam ualitudinem uiresq; faciant, et ea exerceas, quæ ad bellum pertineant, et augendis prætereа opibus, facultatibusq; operam des, omnino mihi et studio amplexandum et admiratione prosequendum uidetur. si quidem te horum unumquodq; recte curare uel certissima nobis præbes argumenta, quando ualentem te sæpius ac robustum, Dijs fauentibus, intuemur: eundemq; eorum numero haberi, qui et equitandi peritia, et diuitijs excellant, nouimus. at ille, ego igitur, inquit, dum hæc facio, multas multorum et calumnias et inuidias sustineo. tu autem forsitan me dicturum putabas, a multis me egregiumq; et frugi appellari. quin ego te, inq;, ô Ischomache, rogaturus id fui, non etiam id cures aliquo modo, ut possis si forte opus sit et alicui reddere, et ab aliquo accipere rationem. et ille, an non tibi uideor, inquit, ô Socrates, ista ipsa quæ dicis assidue tractare? et meditari quidem, quo pacto meam causam tuear, dum nemini nem iniuria afficio, dumq; pro uiribus studeo iuuare q; plurimos? qua autem ratione accusem meditari me non uides, dum et multos priuatim audio ac disco inferre iniuriam multis, et alios nonnullos ciuitati uniuersæ? qui autem iuuet, neminem plane reperio? atqui utrum etiam elocutionem, pronunciationemq; talium rerum mediteris, ô Ischomache, inquam ego, ex te prætereа audire cupio. et ille, nihil quidem est, inquit, ô Socrates, cuius ego dictionem meditari unquã desistam. nam alias ubi seruorum quempiam aut accusantem, ut fit, aut defendentem audiui, tum redarguere studeo. alias aut cum amicis de

aliculus iniuria conqueror, aut apud eosdem quempiam laudo. saepe aliquos ex necessarijs concilio inter ipsos, conorque interim illis osten dere, ut magis ipsis expediat amicos esse, quàm contra interdum alia quem ex ijs, qui imperium gerunt, dum una cum eo adsumus, obiurgamus, uel alium quempiam defendimus; si quis iniuste in crimen uocetur. plerunque accusamus inter nos, si quis sit qui iniusto honore afficiatur. saepius etiam in deliberando, quae quidem efficere cupimus, ea laudamus, quae uero agere nolumus, ea uituperamus. iam uero, o Socrates, etiā certa formula saepenumero sum accusatus, quae distincte contineret, quid mihi aut patiendum esset, aut soluendum. à quo tandem, inquàm ego, ô Ischomache? istud enim mihi adhuc ignotum fuit. ab vxore, inquit ille. et quomodo, inq̄ ego, praeliaris? si quidem vera mihi dicere expediat, probe admodum: sin autem mentiri, ô Socrates, quae causa peior est, eam ego scilicet neutiq̄ meliorem possum efficere. et ego; fortasse, inq̄, ô Ischomache, id quod falsum est, vt verum sit facere non potes. Sed enim, inq̄ ego, forsitan detineo te, ô Ischomache, qui iam eras abiturus. non equidem ô Socrates, ille inquit. neque enim abire ausim, nisi prius omnis è foro turba abierit. istuc scilicet dicis, inq̄ ego, cauere te vaehementer, ne cognomen amittas, quo vir, egregiusque et frugi appellaris. nunc enim forsan quamuis multa habeas, quae tua cura indigeant, tamen quoniam hospitibus pollicitus es; illos ipsos expectas, ne mentitus esse videaris. sanè, inquit ille, ne ea quidem, quae dicis, ò Socrates, paruae mihi curae sunt. habeo enim villicos in agris: atqui o Ischomache, inq̄ ego, vtrum, quum villico indiges, prius explorare solitus es, sicubi sit quispiam vir curandae rei rusticae peritus, deinde hunc talem emere conaris, quemadmodum etiam, quū fabro tibi opus est, prius scilicet exquiris ac discis, sicubi quempiam eius artis peritum offendas, tum illum pretio tuum facere studes, an vero procuratores, villicosque tuos tibi ipse instituis? ipse scilicet,

o Socrates villico mihi instituere atq; erudire consueui. etenim qui me absente in meum locum substituitur, et vicarius meæ diligentiæ succedit, is eadem quæ ego scire debet. nam si ego sim idoneus qui rebus meis gerendis præsim, etiam alium profecto instituere possim ac docere, quæcunq; ipse didicerim ac sciam. ergo primum oportebit illum, inqj ego, tibi tuisq; omnibus esse beneuolum, si quidem in tuum locum ipse præsens sit successurus. nam si absit beneuolentia quæ tandem cuiusuis peritiæ aut scientiæ villici vtilitas futura est? nulla scilicet, inquit Ischomachus. Cæterum ipse primum conor beneuolentiam erga me et meos illum docere. et quo tandem pacto, inqj ego, per Deos, beneuolentiam erga te ac tuos doces quempiam? bene scilicet de illo merens, inquit Ischomachus, si quando nobis Dij cuiuspiam boni copiam impertiuerint. hoc nimirum dicis, inqj ego, qui tuis fruantur bonis, eos erga te beneuolos effici, beneq; de te mereri vicissim cupere? istuc sanè, o Socrates, esse longe optimum beneuolentiæ instrumentum animaduerto. quod si beneuolentiam erga te, inquam ego, ille, quisquis sit, habeat, o Ischomache, tum ob vnam hanc rem idoneus sit, quem tibi procuratorem deligas? an non vides quãuis omnes omnino, vt ita dixerim, homines sibi ipsis amici sint ac beneuoli, multos tamen esse, qui nihil curent qua ratione sibi ipsis ea comparent bona quæ volunt? at enim si qui sint istiusmodi, inquit tum Ischomachus, quos ego velim mihi procuratores deligere, eos ego etiam quo pacto curent ea, quæ oportet, docere soleo. et ego qui inqj, istuc per Deos? ego enim quam sedulus existat quispiam nulla prorsus ratione quempiam doceri adhuc posse arbitratus sum. nec longe sanè a vero aberrasti, o Socrates. non enim omnes vno ordine vt seduli sint ac diligentes docere possis. et quos tandem possim, inqj ego? istos vtiq; obsecro te, mihi planius indica. tum ille, primum omniũ, inquit, o Socrates, qui se vinci a vino permittunt, nec ab eo abstinere se possunt, eos tu

nunq̃, sedulos diligentésue reddideris. ebrietas enim eorum omnium obliuionem inducere solet, quæ agenda sint. et ego, num igitur vni isti, inq̃ tales sunt, vt curam diligentiamq; doceri non possint, an et alij præter istos? sanè alij quoq; sunt, inquit Ischomachus. nam et somniculosi ab eadem institutione abhorrent. neq; enim dum dormis aut ipse facere, quæ oportet, aut alios qui faciant, præstare possis. quid igitur, inquàm ego. soli ne isti rursus erunt, qui talem sedulitatem doceantur minime idonei, an et alij nonnulli istis adiungendi sunt? mihi vero, inquit ille, etiam ij qui amoribus distinentur, et veneris nimium cupidi sunt, minime idonei esse videntur qui aliã rem quampiam curare potius, q̃ vnam hanc assuefiant. nullam enim vnquam neq; spem neq; curam suauiorem illis obijcias, quã amorum ac deliciarum suarum. neq; rursus, si quando ab aliquo eorum id omissum sit, qvod fuit agendum, supplicium inuenire acerbius tibi facile sit, quàm illi amoribus suis interdicere. itidem igitur quoscũq; intellexerim tales esse, omittere soleo, ac ne conor quidem vnq̃ eorum quempiam alicui curationi præficere. ecquid autem, inquã ego? num si qui lucri amore teneantur, ij quoq; inepti sint ad ea, quæ pertinent ad agrum discenda? minime sanè, inquit Ischomachus, minime vero. quin contra potius, hi maxime quos alia curare assuefacias idonei. satis enim est hoc vnum illis ostendere, sedulitatem et curam maxime vtilem esse, lucroq; conducere. reliquos vero, inq̃ ego, qui ab ijs rebus, qvas præcipis, abstinere possint, et præterea ad lucrum apposite ac temperate se habeant, quomodo instituere soles, vt tam seduli ac diligentes existant, quàm cupis? facili admodum, inquit, simpliciq; ratione, ò Socrates. nam si quando, quod ad se attinet sedulo ac diligenter curantes cognouerim, tum et laudibus eos prosequor, et aliquo honore afficere studeo. sin autem contra, negligentius suum munus exequentes, tum et dicere, et facere aliquid conor, quod eos mordeat. age, inquàm ego, ò Ischomache, omisso iam nunc

isto, sermone qui ad personam eorum attinet, qui ad sedulitatem insti tuuntur, doce me de ipsa ratione instituendi, num id fieri possit, vt quispiam, quum ipse sit negligens, alios reddat diligentes? minime vero, inquit Ischomachus. ac nihilo quidem magis, q̃ si quum ipse sis musicæ artis ignarus, alios aggrediaris ad musicam erudire. difficile enim est, dum ipse præceptor aliquid agentem se perperam osten dit, eum mox pulchre efficere, vt discipulus id recte percipiat: difficile etiam quũ ipse dominus negligentiam præ se ferat, ministrum sedulum, diligentemq́; fieri. deniq; , vt breui dicam, mali cuiuspiam domini seruos bonos non mihi adhuc videor cognouisse, at boni quidem malos iam vidi, neq; eos tamen impunitos. Cæterum si quis velit sedulos diligentesq́; reddere quospiam ipsum hunc omniũ, quæcunq; apud se gerantur, et inspectorem ex exploratorem assiduũ esse oportet. et si quid pulchre egregieq́; confectum curatumq́; sit, propensum ac facilem ad referendam gratiam authori. Si quid vero negligenter, non cunctantem, aut verentem, merito supplicio eum afficere qui neglexerit. nec inepte sane mihi videtur, inquit tum Ischomachus, quod ab hoc proposito non abhorreat, Barbarus quidẽ olim respondisse. nam quum rex bonum equum quendam nactus esset, velletq́; eum celeriter pinguem fieri, interrogauit vnum ex ijs, qui disciplinam equestrem callere optime videbantur, quidnam id esset, quod equum pinguem celerrime efficeret? at ille fertur dixisse: domini oculum eum sibi quidem videri. itidem vero, inquit, o Socrates, etiã res alias domini oculus mihi maxime efficere videtur, vt egregieq́; ac laudabiles sint. tum ego, num si cui, inq̃, istuc vnum et valde quidem strenue tradideris, curari ab ipso oportere omnia quæcunq; tu velis, is continuo idoneus erit, quem curationi rerum tuarum præficias? an et aliud quidpiã erit illi discendum, vt bonus rei rusticæ procurator euadat? ac maxime quidem, inquit Ischomachus. reliquum enim illi est adhuc vt nouerit et quid agendum, et quando,

*et qua ratione. alioqui non video, quæ maior villici vtilitas futura sit, qui hæc ignoret, quam medici, qui ægrotantis quidem cuiuspiam curatione suscepta, eum sedulo et mane et vesperi inuisat, quid autẽ sit illi faciendum quod illum iuuet, neutiq; teneat. et ego, quod si quæ facto opus sunt, inq;, ea quomodo agenda sint, is didicerit, erit ne aliud quidpiam præterea eidem discendum, an perfectus tibi erit iste iam tum procurator? puto, inquit, discendum illi esse etiam quo pacto in eos, qui opus faciunt, imperium exerceat. tum ego, num igitur, inquàm, etiam istuc tuos procuratores docere consueuisti, qua ratione ad imperandum idonei sint? conor id quidem ego, inquit Ischomachus. et quo tandem pacto quæso te, per Deos, inq; ego, homines ad imperandum hominibus idoneos reddis? vulgari admodum more, ò Socrates. proinde etiam fortasse irridebis, si audies. at qui, inq; ego, derisu quidem minime digna res mihi esse videtur isthæc, ò Ischomache. nam quisquis ad imperandum idoneos reddere homines potest, is planè docere poterit etiam quo pacto in hominibus dominari eosdem oporteat. quisquis autem ad dominandum aptos, is etiam ad regnandum efficiet. quapropter quicunq; istiusmodi quidpiam præstare possit, is mihi non modo non derisu sed contra etiam ingenti laude dignus esse videtur. ergo, ò Socrates, inquit ille, cætera quidem animalia parere imperio assuescunt his duabus rebus, si et supplicio afficiantur, vbi imperium audacius contempserint, et contra, benigne liberaliterq; tractentur, si quando egregie prompteq; inseruierint. hac enim ratione equali quoq; assuescunt parere domitoribus, si qua in re sibi illos gratificari sentiant, vbi paruerint, ubi autem imperium neglexerint, exhibere molestiam donec illis ex sententia obsequantur. quinetiam catuli quamuis multo et mente et lingua hominibus deteriores hebetioresq; sint, tamen et circumcurrere, et in caput se demittere, et alia item multa facere eadem ratione assuescunt. nam simul ac paruerunt, aliquid accipere solent:*

lent, cuius ipsi cupidi sint: vbi autem contumacius se gesserint, illis co pœna aliqua afficiuntur. at vero, vt homines obedire hominibus velint, ea sunt ratione inducendi, qua intelligant vtile sibi futurum si obedierint. quanquam seruis etiam ea, quæ feris aptior, conuenientiorq; videtur disciplina, maxime congruere videtur, vt ad parendum inducantur. nam si ventri illorum in ijs rebus, quarum cupidi sunt, liberalius indulseris, plæraq; per illos obtinebis atq; efficies. quod si qui sint ingenio ad honorem propensiori, hi etiam laudibus excitabuntur. sunt enim quidam suapte natura non minus auidi laudis, quàm alij nonnulli sint et cibi et potus. quum igitur omnia hæc quæcunq; ipse dum facio puto me homines obsequentiores habiturum, tum etiam alia, quæ proxime dicam, eos docere soleo, quos villicos procuratores ue constituere volo, atq; ita illis subuenire. nam neq; vestimenta quæ eos, qui opus faciunt, à me accipere oportet, neq; item calciamenta, similia inter se omnia comparo, sed alia alijs meliora deterioráue confici iubeo, vt possim videlicet quem præstantiorem cognouero, melioribus, quem nequiorem, deterioribus ornare. magnum enim dolorem mihi merito concipere videntur boni, si quando, quod opus faciendum fuit, id à se vnis confectum videant, paria vero sibiipsis præmia consecutos eos, qui neq; laborem vllum, sicubi opus sit, neq; periculum subire voluerint. ipse igitur nullo prorsus modo par esse arbitror, vt qui præstantiores sint, deterioribus donentur. itaq; etiam villicos si forte ijs, qui plurimum meruerint, eximium quidpiam atq; optimum largitos videam, laudibus prosequor. sin uero quempiam aut adulationibus, ab ijsdem, aut alia quapiam inutili gratia prouectum altius inspicio, non soleo negligere, sed tum obiurgo, tum studeo docere, ô Socrates, ne illi quidem ipsi isto modo quod vtile sit ipsos facere. tum ego, ô Ischomache, inquam, simul atq; iste tibi ad imperandum idoneus effectus sit vsq; adeo, vt dicto audientes tibi, obsequentesq; exhibeat quos velis, num illico

procuratorem rei rusticæ optimum atq; perfectum existimas? an ad huc qui ista adeptus est, quæ dixisti, aliqua re indiget? sane indiget, inquit Ischomachus. nam et abstinere illi opus est rebus, quæ vnius domini propriæ sunt, et propterea non furari. nam cuius fidei, prouentus anni commissus est, hic si fruges, fructusq; ausit disperdere vsq;adeo, vt non supersint, qui operibus faciundis vtiles sint, quid tandem iuuerit nos, rem rusticam per huius procurationem administrari? num istius quoq; iustitiæ docendæ, inq; ego, munus ipse subire consueuisti? maxime sane, inquit Ischomachus. neq; tamen omnes promptos, et qui huic doctrinæ obsequantur, idoneos reperio. itaq; alia quidem ex Draconis legibus, alia ex Solonis accipiens, sic interim studeo seruos in hanc iustitiam inducere. mihi enim hi viri videntur multas leges scripsisse ad huiuscemodi iustitiæ institutionem. si quidem in illis id continetur, vt qui furto sustulerint quidpiam, mulctentur, et vinciantur si quis in ipso furto sit deprahensus. et necentur, qui manu rem gerere audeant. plane enim constat scripta hæc esse ab illis vt turpe lucrum iniustis hominibus inutile reddatur. ego igitur partim ab his hauriens, partim ex legibus regum assumens ea, quæ mihi conuenire videntur, seruos meos tales reddere studeo, vt in ijs, quæ ab ipsis tractanda sint iuste versentur. illæ enim leges pœnas duntaxat peccantibus irrogant. regiæ autem leges, non solum eos, qui iniuriam intulerint, plectunt: sed etiam eos, qui iuste egerint, præmio afficiunt. ex quo fit, vt plæriq; lucrum amantes dum iustos ditiores iniustis fieri vident, egregie sane ac probe pergant neminem iniuria afficere. quos vero, inquit, etiam beneficijs, muneribusq; allectos, nihilominus tamen iniuste agere conantes animaduerto, hos tanq; insanabili cupiditatis atq; iniustitiæ morbo laborantes, etiam vsu earum rerum, quas administrent, priuare soleo. quoscunq; autem contra, non solum ex eo quod propter iustitiam se locupletiores cæteris factos videant, concitari ad iustitiam, sed etiam

ex eo quod à me laudentur, cupere se esse iustos intelligo, his iam tum vtor tanquam ingenuis, neque diuitijs solum, sed etiam honoribus, eosdem tanquam egregiosque et frugi augere soleo. hoc enim mihi differre, inquit, videtur, ô Socrates, vir honoris cupidus, et vir lucri amator, quod alter laudis, honorisque gratia et labores et pericula adire, sicubi res poscat, et turpibus lucris abstinere, paratus sit: alter non item; sed enim, ô Ischomache, quum ita animatum reddideris quempiam, vt omnia velit tibi esse bona, eundemque instruxeris, quo pacto curet, vt hæc ipsa tibi effecta reddantur, deinde eidem scientiam tradideris, qua vnumquodque eorum, quæ facienda sunt, vtilius tibi et commodius absoluatur, eundem præterea ad imperandum idoneum comparaueris, postremo ille iam tibi omnes fruges, quas terra tulerit, reliquosque fructus vniuersos singulis annis exhibere consuerit, non minori cum fide quam tutemet tibi ipsi, tum neutiquam ego te iam vltra rogabo, vtrum ei quem talem præstiteris, aliquid etiam nunc desit. apprime enim mihi iam videtur quicunque talis existat, quantiuis pretij procurator habendus. verum illud tamen, quæso te, ô Ischomache, noli sic mihi relinquere, quod pauloante in dicendo segniter admodum, leuiterque percurristi. quodnam istuc est, inquit Ischomachus? nimirum dixisti, inquam ego, maximi esse momenti, vt quis discat, quonam modo vnumquodque opus tractari atque effici oporteat, alioqui nullam istiusmodi procurationis ac sedulitatis rationem futuram dicebas, nisi quis etiam illud teneret, quas res facere, et quomodo facere oporteat. tum Ischomachus, artem me, inquit, ipsam iam nunc, ô Socrates, agriculturæ docere iubes. sanè inquam ego. nam hæc iam est, quæ facit, vt ij diuites sint, qui ipsam norint. qui autem ignorent in multis laboribus, multaque inopia vitam degant. ergo audies nunc iam inquit, ô Socrates, etiam humanos huiusce artis mores. nam quod ea dum exercetur, et vtilissima et iucundissima sit, necnon pulcherrima, gratissimaque Dijs, atque hominibus, et præterea

ad discendum facillima, quas non in primis generosum putauerit?
quippe generosa enim ea cuncta vocamus animalia, quæ quum et pulchra et magna et vtilia sint, mitia sese erga homines præstant. atqui ista quidem, tum inquam ego, ô Ischomache, satis mihi videor didicisse ex eo, quod dixisti, quemadmodum procuratorem rei rusticæ instituere oporteat. nam et qua ratione dixeris te illum erga te beneuolum reddere, et qua diligentia item, et qua ad imperandum idoneum, et qua iustum, didicisse, tenereq; videor. quod autem dixisti oportere eum, qui recte sit rem rusticam curaturus, discere, et quæ sibi sint facienda, et quo pacto singula, et quo tempore facienda, hæc sanè omnia animaduerto, inquam ego, nos oratione segnius aliquanto ac negligentius percurrisse, non secus ac si dixisses, scire eum litteras oportere, qui facultatem sit habiturus et scribendi ea, quæ lingua nuncupata, et legendi ea, quæ scripto commissa essent. hæc enim ego si audiuissem, quod quidem oporteat litteras scire audiuissem. quãuis autem hoc ipsum egregie tenerem, nihilo tamen magis, vt arbitror, litteras scirem. idem vero etiam in ista re mihi vsu uenire video. quod enim oporteat rei rusticæ habere scientiam eum qui recte sit illam ipsam curaturus, facile persuasum habeo. at vero licet istuc optime teneam, nihilotamen magis quàm ante quo pacto agrum colere oporteat noui: sed si quidem mihi istuc vnum tenenti illico agris culturæ dare operam placeat, sanè tum mihi similis videar illi medico, qui circuncurset sedulo inuisens ægrotos, quid autem ægrotis aut salubre, aut vtile sit, prorsus ignoret. vt ne igitur amplius sim talis, inquã ego, doce me quæso ipsa munia rei rusticæ. atqui tum ille inquit, non quemadmodum in alijs discendis artibus multum, ô Socrates, temporis ante consumere oportet, quàm is qui discit opere faciundo victum mereatur, ita res rustica ad discendum difficilis est, sed eos partim intuens, partim audiens, qui munera illius exequuntur, confestim vsq;adeo sciens euaseris, vt possis etiam alios docere si ve-

lis. Suspicor autem, inquit, quamuis multa quæ ad illam pertineant noris, te tamen ipsum nunc fugere quàm illorum sis sciens. nanq; alij quidem artifices occultare nescio quo pacto consueuerunt ea, quæ summa et rarissima in sua quisq; arte nouit. apud agricolas vero is qui optime arbores serit, tum maxime gaudet, quum serentem ipsum quispiam intuetur. idem vsu uenit in eo qui optime sementem facit. deniq; nihil est horum quæ pulchre egregieq; apud illos confecta habeantur, quod si interroges qua ratione cõfectum sit, id tibi sit occultaturus qui fecerit. sic sanè, inquit, etiam moribus, ò Socrates, apprime generosos reddere videtur agricultura eos, qui cum ipsa versentur. tum ego, atqui exordium, inquã, perpulchrum, nec sanè eiusmodi vt possit audientem deterrere ne amplius roget. tu vero quod honesta ac digna res est quàm homines discant, idcirco eam multo mihi magis enarra. non enim dedeceat te, si ea, quæ facilia sunt doceas. contra potius turpe mihi sit quod nesciam, præsertim quum eadem vtilia sint. ergo, ò Socrates, inquit, primum sanè illud tibi demonstrare volo, neutiquã difficile esse quod maxime in agricultura varium esse, ij dicunt, qui oratione quidem illam peregregie complectuntur, re autem atq; exercitatione minime attingunt. aiunt enim eum qui bene sit rem rusticam tractaturus, terræ primum ipsius naturam nosse oportere. qui quidem recte sanè, tum inquàm ego, ista dicunt. qui enim nescit quid terra possit ferre, ne illud quidem scit, quid videlicet seminis ei committere, aut quid in ea arborum serere oporteat. ergo, tum inquit Ischomachus, etiam de aliena terra eandem cognitionem accipere nihil prohibet, quid scilicet possit ferre, quid ue item non ferre, contemplantem et fructus et arbores. uerum vbi quis semel nouerit, non vltra conducit pugnare cum Dijs. non enim cuiuscunq; indigens fuerit quispiam, id protinus siue seminet, siue serat, capiat quæ sibi ad viuendum necessaria sint potius, quã si quod terra ipsa non inuita et ferat et nutriat, si vero ob ignauiam

eorum, qui ipsam possideant, non possit ipsa suam vim ostendere à vicino loco plerunq; licet veriorem de ipsa cognitionem accipere, q̃ si ab homine vicino accipias. quinetiam ipsa quamuis inculta horreat, tamen naturam suam indicare consueuit. nam quæ agrestes plantas egregias parit, potest si colatur etiam vrbanas ac domesticas præstantes item atq; egregias ferre. hac itaq; ratione quamuis aliqui rei rusticæ admodum periti non sint, aliam tamen possint facile ab alia discernere. atqui tum inq̃ ego, istius quidem quod num dicis, ò Ischomache, iam mihi satis magnam fiduciam accepisse videor, vt me amplius non oporteat ab agricultura abhorrere, timentem ne possim terræ naturam cognoscere. etenim veniunt, inquàm, piscatores in mentem, qui licet mari sint assueti, ac neq; vnq̃ ad contemplandum constiterint, neq; saltem quietius incedentes, sed vna cum ipso mari duntaxat arua prætercurrentes, spectauerint: tamen quum aliquos in aliqua terra fructus vident, non dubitant enunciare, quæ nam bona, quæ ue mala sit terra. sed planè hanc quidem vituperant, illam vero laudant. nec eos video plerunq; ab ijs, qui rem rusticam apprime callent, de bona terra dissentientes, sed sæpissime idem enunciantes, quod illi. vnde igitur vis ò Socrates, incipiam redigere tibi in memoriam ea, quæ ad agriculturam pertinent? scio enim me tibi longe plurima scienti, vt agrum colere oporteat, dicturum. videor mihi, inq̃ ego, ô Ischomache, primum illud libenter auditurus. (hoc enim ad virum philosophum in primis spectat:) quo nam pacto ego, si velim, plurimum ordei, plurimumq; tritici copiam ex ipso terræ cultu. non ne igitur hoc saltem nosti, quemadmodum sementi noualem agrum subigere oporteat? noui vero, tum inq̃ ego. num quid igitur terram proscindere, inquit, incipiemus hybernis mensibus? atqui lutum, inq̃, tum impediat. num æstate igitur placet? durior tum inq̃, erit terra, quàm vt aratro moueri possit. illuc video, inquit, rem deducimus, vt verno tempore sit huiusmodi opus inchoandum. par quippe est ma

xime, inquàm ego, terram eo tempore si moueatur, resolui, diffundiq; . herbam quoq;, inquit, quæ euertitur, ô Socrates, eodem tempore ipsi terræ esse pro fimo. semen autem spargi quod terra ita excipiat, vt pullulet nondum conuenit. puto enim iam hoc quoq; sciendum esse videlicet, vt nouale bonum, existat ab omni materia purum, subactumq;, et excoctum maxime à sole esse oportere. maxime, inq̃. ista quoq; necesse esse arbitror, vt quemadmodum dicis, ita se habeant. tum ille, num tu igitur, inquit, hæc vlla alia ratione potius confici arbitraris, quàm si æstate q̃plurimis arationibus quis terram vertat? sane compertum habeo, inquam, nullo alio modo potius futurum, vt materia quidem in summo deprehendatur, atq; æstu arescat, terra autem à Sole coquatur, quàm si quis in illam et media æstate, et medio die aratrum immittat, ipsamq; sic moueat. quod si homines fodiendo, inquit, noualem faciant, non ne constat eos terram à materia seorsum tractare oportere? et ipsam quidem materiam, inquàm ego, prosternere, vt in summo arescat: terram autem versare, vt quod in ea crudum fuerit, coquatur. iam ergo, inquit, cernis, ô Socrates, vt de nouali ambobus nobis eadem placeant. et ego, sanè, inquàm, placent. at vero de sementis tempore, inquit, num aliud quidpiam sentis, ô Socrates, quam, vt ea parte anni facienda sit, cuius quum omnes, tum quicunq; nos antecesserunt, tum quicunq; nunc extant vsu edocti, eandem appositissimam esse iudicarunt? nam vbi autumni tempus aduenit, omnes qui vsquam sunt homines, in cælum suspiciunt, ecquando irriget terram Deus, et sic ipsos seminare permittat. et ego, illud præterea, inquàm, sentiunt omnes homines, ne arente terra sementem faciant, nisi aliqua necessitas cogat, hoc ipsum ea re docti videlicet, quod à multis damnis vexari, oppugnariq; soleant quicunq; ante seminare ausint, quàm Deus iusserit. ergo hæc quidem probant, inquit Ischomachus, fatenturq; omnes homines. ita quippe fit, inquàm ego, vt quæcunq; ipse

nos doceat Deus, de ijs omnium eadem sententia sit. veluti quod omnibus omnino placeat, præstare, in hyeme crassiora vestimenta ferre si modo possint. item æque omnibus placet, tunc potissimum ignem accendere si ligna habeant. at qui de hoc ipso quod pertinet ad sementem, inquit Ischomachus, multorum, ò Socrates, multa est controuersia, vtrum videlicet quæ maturius fiat, an quæ medio tempore, an quæ serius maxime probabilis sit. Deus quoq;, inquàm ego, annum agit nullo certo ordine: sed modo ad ea quæ mature fiunt, modo ad ea quæ medio tempore, modo ad ea quæ maxime sero appositissime. tu igitur, inquit, ò Socrates, vtrum putas melius esse, ex his omnibus vnum duntaxat sementis genus eligere, eoq; vno vti, siue multum quis, siue parum sparsurus sit seminis, an à primo quoq; tempore incipientem, seminare, vsq; ad nouissimum. et ego tum ad illum: mihi quidem, ò Ischomache, videtur optimum factu esse, ut nullum sementis genus negligamus. multo enim satius esse arbitror, tantum semper frumenti accipere, quantum abunde sufficiat uictui, quàm modo quidem quamplurimum, modo uero ne quantum quidem sit satis. ergo de hoc quoq;, inquit, tu quidem, ò Socrates, idem sentis quod ego, tu uidelicet qui discis, quod ego qui doceo, quum tamen ipse prior tuam sententiam ostenderis, quàm ego meam. tum ego, ecquid, inquam: uaria ne est iaciendi seminis ratio? est uero, inquit, ò Socrates. consyderemus sanè istud quoq;. nam quod manu iacere semen oporteat, nimirum et ipse, inquit, nosti. quippe qui uiderim, inquàm ego. iacere autem æqualiter, inquit, alij possunt, alij non possunt. ergo istuc quidem, inquàm, meditationis iam exercitationisq; indiget, uelut citharœdi item manus, ut possit sententiæ, uoluntatiq; canentis subseruire. istuc uero maxime, inquit. quod si terra, inquit, tenuis ac rara potius, quàm densa ac pinguis fuerit? tum ego: quid istuc, quæso, ais? raram ne idem quod imbecillam, et densam ne quod ualentem? hoc ipsum, inquit, dico. et interrogo te utrum tantumdem seminis

*minis vtriꝗ; daturus sis, an non? et si non sis tantundem, vtri tan dem amplius? et ego, vino quidem, inꝗ;, valentiori, plus aquæ admiscendum esse arbitror. et homini robustiori si quid forte ge stare opus sit, plus oneris imponendum. quod si quos homines nu trire necesse sit, plures sanè ego potentioribus nutriendos impera uerim. num autem fieri possit, vt imbecillior terra valentior fiat, plus in illam sementis iaciendo, quemadmodum solent iumenta, li benter admodum te docente didicerim. et Ischomachus, emisso risu. atqui tu quidem, inquit, iocaris, ò Socrates. verum scito tamen, postꝗ; terræ semen commiseris, si quo tempore plurimum de cœlo accipit nutrimenti terra, iam videlicet enata herba de semine, tum idem euerteris rursus ac deieceris, id ipsum terræ cibi afferre vsum, hocq; ipsum instar lataminis ac fimi, eandem reddere valentiorem. at si illam ad extremum vsq; alere semen, quoad scilicet in fru ctum euadat, permiseris, difficile sanè erit terræ imbecilliori mul tum fructum vsq; ad finem perferre: veluti sui quoq; minus va lenti difficile sit nutrire multos iam adultos fœtus. id dicis vide licet, inꝗ; ego, ò Ischomache, debiliori terræ minus seminis esse committendum. istuc sanè, inquit dico, ò Socrates: et tu idem fateris, qui putas omnibus, quæcunq; imbecilliora sint, et minora, et pauciora esse imperanda. tum ego, sarcula vero, inꝗ;, ò Ischo mache, qua de causa adhibetis frumento? videlicet, inquit, nosti hyeme aquas multas existere. quid ni inꝗ; ego? concedamus ergo necesse est ab illis inducto limo herbulam quampiam è semine fru menti ortam obrui: item radices aliquas inundatione nudari. etiam materia plærunq; vnà cum frumento enascitur vi aquarum, illudq; suffocat. par est, inꝗ; ego, istæc omnia fieri. non ne igitur hic tibi videtur, iam alicuius indigere opis frumentum? et ego, videtur ve ro, inꝗ;. ei igitur quod limo inducto obrutum sit, quid tandem fa ciant, si qui opem ferre velint? subleuent sanè inꝗ; ego, terram.*

at ei cuius radices nudatæ, quid? eodem regerent, inq; ego, et accumulent rursus terram. quid porro, inquit, si materia vna cum frumento enata id ipsum suffocet, eiusq; ita diripiat cibum, vt fuci ignaui et inutiles ea diripere solent, quæcunq; ipsæ apes à se confecta res ponunt et condunt? et ego, excidere nimirum, inq;, istiusmodi materiam oporteat, quemadmodum et fucos ex aluearibus tollere. nonne igitur merito tibi videmur sarcula adhibere? et ego maxime quidem, inq;. cæterum hic mihi venit in mentem, ô Ischomache, cuiusmodi sit sermoni accommodatas inducere imagines. valde tu quippe animum mihi ad materiam intentum reddidisti, dum fucorum facis mentionem multo magis quam tunc, quum de ipsa materia loquebaris. cæterum par fortasse fuerit, messem deinceps fieri. doce me igitur si quid habes, item quod ad hanc rem pertineat. sane, inquit, modo ne tu hac quoq; in re idem scire videaris, quod ego. si quidem quod secare frumentum oporteat, iam nosti. quid ni inq; nouerim? vtrum igitur illic, vnde flauerit ventus, consistens secabis, an ex aduerso? tum ego, non exaduerso inq;. molestum quippe suspicor, et oculis et manibus fore, si contra paleas et aristas quis metat. et ille, summa ne, inquit incidas, an prope terram inferius seces? si quidem breuis sit ipsius frumenti calamus, tum, ego inquam inferius, terræq; vicinius inciderim, vt sic palearum habeatur quantum sit satis. sin autem procerior fuerit, medium incidere putauerim rectius, ne et qui deinceps trituri in area sint, superuacuum laborem assumere cogantur, et qui ventilaturi ac purgaturi, ea tractare, quorum nullus sit vsus. præterea pars, quæ humi affixa superrit, si post comburatur, terræ, puto haud paruam vtilitatem sit allatura, fimoq; si admixta fuerit, imum ipsum multiplicatura. vides ne, inquit, ô Socrates, vt de messe item manifesto deprehendaris, qui eadem tenes, quæ ego? plane inquam video periculum esse ne istuc verum dixeris. cæterum volo item inspicere, num etiam tererein area possim. et ille, iam ergo, inquit, nosti, vt iumenta in area frumentum te-

tant. quid ni? inquam. nosti vero, inquit, etiam quæ iumenta vocen tur simili ratione omnia, boues, mulos, equos. non ne igitur putas hæc ipsa ad proterendum frumentum tantisper idonea esse, dum impellan tur, aut agantur? sane inquam. quid enim aliud tandem præstare pos sint iumenta? vt vero omne id frangant, quod fracto opus est, et tri tura exæquetur, cuinam, o Socrates, inquit, efficiendum attribues? ijs, inquam, videlicet, quibus trituræ onus impositum sit. nanq; hi, et ver santes, et pedibus iumentorum subijcientes ea semper, quæ nondum fra cta aut protrita sint, maxime videlicet ad vnguem exæquauerint, et rem quàm celerrime confecerint. hæc igitur, ille inquit, nihilominus cogno scis ac tenes, quàm ego. cæterum, o Ischomache, inquam, iam id se quitur, vt secernentes frumentum purgatius reddamus. et Ischomachus, dic mihi quæso, inquit, quatenus istud noris. nam si ex ea parte areæ aggrediaris, qua ventum ipsa excipit, per totam aream tibi diffugient paleæ. nimirum, inquam ego, necesse est. ergo par etiam est, inquit, eas in frumentum recidere. quippe, inquam, quum plus sic futurum sit spatij, quàm ut ultra frumentum ferantur paleæ in eam areæ partem, quæ uacet. at uero si quis inde inquit uentilandi initium sumat, qua uentus emittitur? sic quidem haud dubium, inquam, paleas euestigio in locum suum casuras. cæterum ubi frumentum, inquit, purgaueris ad mediam vsq; aream, vtrum illico sic frumento confuso, quod reli quum fuerit palearum, uentilabis? an postquàm id quod purgatum habe bis in mediũ areæ locum, qui uertex et polus dicitur, congesseris quasi in angustissimum? et ego, scilicet postquàm congessero, inquam, quidquid frumenti purgatum mihi fuerit, vt in uacuum areæ spacium transi liant ac ferantur paleæ, neq; mihi necesse sit bis easdem paleas uen tilare. ergo, o Socrates iam tu quidem, inquit, uel alium possis do cere, quo pacto frumentum quàm celerrime purgatum habeatur. ego ista, inquam, uel iam diu imprudens tenebam ac noueram. cogito itaq; iam nunc, utrum itidem imprudens scientiam habeam, qua possim alias quoq;

res efficere, ut aurum tractare ac fundere, ut tibijs canere, ut pingere. nam neq; horum quidpiam quisquam me docuit, neq; item rem rusticam. licet autem mihi ut eos, qui agriculturæ dent operam, sic eos qui aliam quamuis artem exerceant, intueri. an non dixi tibi iam dudum, inquit tum Ischomachus, rem rusticam eo maxime generosam esse, quòd ad discendum facillima sit? et ego, agedum, inquam, noui sane istud, ò Ischomache. iam equidem uideo quæcunq; ad sementem pertinent, me nescientem atq; imprudentem tenuisse. sed est ne item, inquam, rusticæ rationis, arbores serere? est quidem certe, inquit Ischomachus. cur ergo, inquam, ea, quæ ad sementem spectant, scire possum, hæc autem quæ ad serendas arbores, non item? ain uero, tu, inquit Ischomachus, hæc haud nosti? et ego, qui istuc, inquam? quum neq; quo solo serendum sit, nouerim, neq; quam alte plantam infodere oporteat, neq; quanta latitudine scrobem cauare, neq; quam proceram plantam immittere, nec denique quo pacto affixa terræ planta maxime sit pullulatura? age igitur iam nunc, inquit Ischomachus, disce quidquid istuc est, quod ignoras. scrobes quippe, inquit, cuiusmodi excauent plantis infodiendis, scio te aliquando inspexisse. ac sæpenumero quidem, inquam ego. uidisti ne ergo unquam tribus pedibus altiorem? ego uero, inquam, ne semipedibus quidem quinq;. at cuiuspiam latitudinem, uidisti ne unquam tribus pedibus maiorem? ac potius, tum ego inquam, ne duobus quidem. agedum quæso, inquit, hoc præterea mihi responde. unquam ne scrobis altitudinem pede minorem uidisti? quin, ego inquam, ne semipedibus quidem tribus. nam periculum erit ne eruantur plantæ dum fodientur, si tam humili scrobe satæ fuerint. et ille, ergo hoc, ò Socrates abundè, inquit, nosti, neq; semipedibus quinq; altius, neq; tribus humilius plantas esse infodiendas. sanè istuc, inquam, necesse est me perspicere, quum perspicuum sit. quid porrò? inquit. aridiorem ne terram atq; humiliorem uisu potes discernere? et ego, arida quidem mihi esse inquam

videtur, quæ ad Licabettum pertinet, et si qua huic similis est. humidior vero, quæ ad paludem phalericam, et quæcunq; praterea huic similis. vtrum ergo, inquit, plantam depositurus altiorem in arida scrobem cauabis, an vero in humida? et ego, in arida scilicet. quippe qui in humida, inquam, si aliquanto altius fodiam, aquam sim offensurus. quapropter ne serere quidem in aqua amplius possim. probè, inquit, mihi dicere videris. cæterum vbi scrobes excauatæ fuerint, quàm mox plantas in vtraq; depònere oporteat, iam, puto, nosti. maxime, inquam ego. tu igitur si velis, inquit eas celeriter pullulare, vtrum tandem eam terram substernens, quæ subacta sit, malleoli germen putas per emollitam? an per ignauam et immotam citius penetraturum in id, quod durius sit? et ego, haud dubium quidem est, inquam, quin per emollitam et subactam citius, q̃ per inertem et immotam. ergo terram plantæ, inquit, substernere oportebit. et ego, quid ni, inquam, oporteat? vtrum vero si rectum, atq; in cœlum spectantem malleolum colloces, ipsum putas firmius radices emissurum, an vero si obliquum quidpiam posueris sub ea terra, quàm emollitam substraueris, ita quidem, vt gemma litteræ instar resupinus iaceat? ita scilicet, vt dicis. plures enim oculi, seu gemmæ erunt sub terra. ex ipsis autem oculis sursum pullulantes plantas animaduerto. quare idem vsu uenire arbitror, etiam in oculis qui sub terra lateant. multis enim germinibus è terra enascentibus, cito vtiq; ac valenter pullulaturam arbitror plantam. iam ergo, inquit, vides, vt de his quoq; idem sentias atq; intelligas, quod ego. ingeres porrò, inquit, terram duntaxat, an et calcabis, stipabisq; bene et nauiter circum plantam? stipabo scilicet, inquam ego. etenim quidquid est, nisi stipatum ac densius redditum fuerit, non dubito, sanè ego futurum, vt terra hoc modo non coacta vel aquarum accessu in limum euadat, vel sole adurente, ad imum vsq; exarescat. quare periculum fuerit ne plantæ

vel ab aquis putrescant ob humorem, vel euanescant ob siccitatem, calefactis videlicet ob raritatem soli radicibus. Ergo tu quidem, inquit, etiam de serendis vitibus eadem omnia tenes, quæ ego, tum ego, num et ficum, inquam, eadem ista ratione serere oportet? ego vero etiam reliquas omnes, inquit, arbores fructiferas puto. vbi enim quæ ad vitis sationem pertinent bene, apteq; egeris, quod tandem aliud serendi genus supererit, in quo haud probandus esse videaris? at oliuam qua tandem ratione, inquam ego, seremus, ô Ischomache? meam in hoc quoq; tentas sententiam, inquit, qui istuc ipsum nosti præ cæteris omnibus. vides enim vt profundior oliuæ scrobs fodi soleat. num vt obseruare possis iuxta vias maxime fodi solet. vides præterea vt plantæ omnes oleaginæ truncos habeant. vides etiam limum omnibus plantarum capitibus impositum, et omnium plantarum partem superiorem obtectam. video, inquam ego, ista omnia. at qui si vides, inquit, quid eorum est, quod non intelligas? an testam, ô Socrates, inquit, ignoras? quemadmodum videlicet ea supra limum collocetur? et ego haud scilicet horum, quæ dixisti, quidquam ô Ischomache, ignoro. sed iterum cogito: quare quum antea summatim me interrogaueris, quàm sim arborum serendarum peritus, me non esse peritum responderim. neq; enim putabam me posse dicere, qua ratione quidquam serere oporteat. postquam autem singillatim de vnaquaq; re me interrogare aggressus es, respondeo tibi, quemadmodum ipse dicis, omnia prorsus, quæcunq; etiam ipse nosti, qui peritissimus agricola diceris, ergo, ô Ischomache, inquam, doctrinæ quoddam genus est interrogatio. modo enim, inquam, eatenus disco, quoad me de singulis rebus interrogas. ducens enim tu me per ea, quæ noui, dum his ipsis similia demonstras ea, quæ me nescire putabam, persuades puto, me hæc itidem nosse. ergo, tum inquit Ischomachus, de argento quoq; si te interrogem, purum ne sit, an non, possim tibi persuadere, vt scientiam habeas discernendi, quod verum sit ab adulterino? et de ijs, qui

tibia canunt, non ne possim vtiq; obtinere verbis, quemadmodum tibijs possis canere? nec non de pictoribus, alijsq; eiusdem generis itidem? ita fortasse, inquam ego. quippe qui mihi etiam vt rei rusticæ peritus sim, persuaseris, tametsi scio nunquam me habuisse, quempiam huius artis magistrum. et ille, non sunt, inquit, hæc, ò Socrates. sed ego vel dudum tibi dicebam rem rusticam adeo hominibus amicam, adeoq; mansuetam esse artem, vt qui videant duntaxat, et qui audiant, è vestigio periti illius existant. porrò autem ipsa quoq; rerum multarum magistram se præbet, vt quiuis ipsam optime, rectissimeq; exercere, ac tractare possit. continuo enim vitis, dum in arbores ascendit, si modo arborem in proximo habeat, monet se ipsam aliquo adminiculo esse fulciendam: deinde pampinos expandens, quum racemi adhuc teneri sunt, monet ijs, quæ per id tempus à sole tangantur, vmbram esse inducendam. vbi autem iam aduenit, quum á sole vuas mitescere conuenit, tum eadem abijciens folia, monet quemadmodum ipsam nudari oporteat, vt fructus eo modo maturescant. at vero propter multam fœcunditatem dum alios quidem iam maturos ostendit racemos, alios autem fert crudiores adhuc, monet interim iam nunc sibi vindemiatorem esse adhibendum, veluti ficus vmbra fouet, id quod augescit atq; intumescit semper. tum ego hic dixi. si igitur ea, quæ ad rem rusticam pertinent, adeo ad discendum facilia sunt, ò Ischomache, vt omnes similiter sciant, quæ facere oporteat, cur non item omnes in ea tractanda felices sunt? sed dum alij sibi victum abundè sufficiunt vsq; adeo, vt etiam superuacuis abundent, interim alij ne id quidem suppeditare sibi possunt, quod ad viuendum necessarium est, sed ad reliqua mala etiam æs alienum addere coguntur. tum Ischomachus, iam inquit, tibi hoc dicam, ò Socrates. si quidem neq; scientia rerum rusticarum, neq; item inscitia facit, vt alij abundent, alij egeant. nec vero unquam, ut audires, tibi contigit, fama ferri rem cuiuspiam familiarem ideo dilapsam esse, quòd non æqualiter semen ie-

cerit seminator, neq; quod perperam ac peruerso ordine uites quispiã conseuerit, aut quod ignorans quæ terra ferendis uitibus apta sit, in fæcundum sationi solum delegerit. nec præterea quod aliquis igno-rauerit, ut sementi conducat, aut terram ante proscindi, aut stercorari agros oportere. sed longe frequentius talia audire consueuisti: ille uir ex agro suo frumentum non percipit, propterea quod non curat qua ratione sementis sibi fiat, aut quomodo lætamen ipse sibi comparet. item, uinum homo non habet. cur ita? nempe quod non curat quomo-do uites conserat: neq; quas consitas habet, quo pacto habeat feraces. item, non oleum, non ficus percipit, idcirco quòd neq; curat, neq; dat operam, ut hæc possit percipere. hæc sunt sanè, ò Socrates, inquit, quibus dum inter se præstant atq; excellunt agricolæ multo, item ex-cellentius rem suam aliqui ex illis gerunt, quàm qui sibi uidentur do-cte, sapienterq; inuenisse exquisitum quidpiam ad opera tractanda. ac ne imperatores quidem in plærisq; imperatorijs muneribus sententia in ter se differunt, ut sic alij quidem sint alijs præstantiores, sed planè cura ac diligentia, quæ enim et cuncti imperatores norunt, ut ex pri-uatis quàm plurimi, ea alij quidem imperium gerentes faciunt, alij uero non faciunt: ueluti hoc omnes intelligunt, ut quãdiu per hostiles regio-nes iter faciunt exercitus, ita acie instructa incedant, ut perquàm com-mode prælium possint committere, si opus sit. hoc igitur quum omnes intelligant, alij faciunt, alij non faciunt. custodias in castris et diur nas et nocturnas constituere optimum factu esse omnes norunt, sed hoc ipsum alij sic curant, ut ipsa res postulat, alij non item. rur-sus si quando per angusta loca iter faciant, haud sane inuentu diffi cilis est quispiam, qui nouerit, melius esse accommodata, opportunaq; loca præcipere, quàm secus. sed hoc ipsum alij quidem ita curant fa-ciendum, ut oportet, alij autem non curant. sic ergo fatentur quidem omnes agriculturæ utilissimam rem esse lætamen, idq; ipsum cernunt ultro ac sua sponte confici solere, sed enim qui tam exquisite no-

runt

runt quomodo fiat, tametsi facile habent, quomodo ingentem illius copiam comparent, alij tamen sedulo curant, quo pacto illud accumulent, alij non curant. At qui Deus è cœlo aquam largitur, et caua omnia palustria ac cœnosa fieri solent, terraq; ipsa omnis generis materiam suppeditat, et eum, qui est seminaturus, purgare terram oportet. quæ vero conuelluntur, abijciunturq; procul, ea si quis in aquam conijciat, tempus ipsum inde iam conficiet id genus, quo terra lætior comparetur. etenim quæ tandem materia, quodue terræ genus, si in lacunis, aquisue stagnantibus torpescat, in lætamen haud conuerti solet: etiam sicubi terra remedijs indiget, vtpote quæ vel humidior sit ad sementem faciendam, vel salsior ad arbores conserendas, id quidem omnes norunt, quemadmodum ductis fossis aqua emittatur, vtq; salsugo tollatur illi dulcia et humida et sicca omnis generis miscendo. verum hæc alijs quidem sunt curæ, alijs vero non item. quod si quis penitus ignoret: quarum rerum terra sit ferax, neq; aut fructum eius, aut plantam possit intueri, neq; veram eius naturam aliquo narrante percipere, non ne homini tamen cuilibet quãuis rudi atq; imperito facilius sit terræ periculum facere, quàm equi? non ne facilius, quàm hominis? neq; enim illa præ se fert quidpiam cum fraude: sed simpliciter quidquid valeat aut non valeat, et patefacit, et veritate ipsa confirmat. quinetiam videtur mihi terra dum et ad cognoscendum, et ad discendum facilia omnia suppeditat, per quam egregie explorare et exquirere, qui nam frugi sint, qui ue nequam. non enim, vt qui alias artes non attingunt afferre excusationem ignorantiæ possunt, quod eas nesciant, sic item in ipsa terra vsu uenire solet. norunt enim omnes planissimè, eam, à quibus bene tractetur, eosdem bene vicissim tractare. quocirca rei rusticæ negligentia vel certissima est mali animi proditrix atq; accusatrix. quod enim quispiam sine re-

*bus ad vsum vitæ necessarijs vitam degere possit, nemo est plane, qui sibi ipsi persuaserit. at enim quicunq; neq; aliam artem quæstuosam callet, neq; rem rusticam exercere vult, haud dubium est, quin aut furtis, aut rapinis, aut mendicitate victum sibi comparare in animo habeat, aut si nihil tale meditetur, omnino omnis prudentiæ sit expers. magni autem referre dicebat, vt vel sui studiosos iuuet res rustica, vel ijdem inutilis sit, quum plures operæ adsunt, tum alij quidem curæ esse, vt in tempore sibi ad opus præsto sint operarij, alij vero idem curæ non esse. facile enim vir vnus, inquit, decem alios antecedit, qui in tempore opus faciundum curet, quinetiam alius alij præstat, quod horam ipsam, tempusq; præueniat. qui autem permittit homines totum diem nequiter agere ac desidere, facile id agit, vt vel dimidio superetur ab opere vniuerso, quemadmodum in spatio quoq; ducentorum stadiorum, duo nonnunquam iter facientes quamuis ambo, et iuuenes sint et valentes, tamen alter alterum stadijs centum velocitate antecedit, si forte alter id vnum agere pergat, cuius gratia ingressus est iter, alter remissiori animo cesset ac circum fontes, subterq; vmbras otietur, contempleturq;, atq; auras molliores captabundus obseruet. idem vsu venit in operibus faciundis. multo enim in ipso opere obsoluendo præstantiores sunt, qui id vnum agunt, cui vni delegati, destinatiq; sunt, quàm ij, qui idem non agunt, sed cessandi occasiones aucupantur, et facilitati atq; otio indulgent impune. profecto enim tanti refert, alium quidem probè opus facere, alium vero male curare faciendum, quanti aut omnino opus facere, aut omnino nihil agere. etenim quum ij, qui vites ea de causa fodiunt, vt omni materia puræ, liberæq; reddantur, ita fodiunt, vt et copiosior, et pulchrior existat materia, qui tandem fieri possit, vt non quidquid est istiusmodi operis, id et cassum, et ociosum dicas? multo igitur potius hæc sunt, quæ domos et familias perdant ac deleant, quàm vlla ingens rerum agendarum inscitia. nam quum impendia*

è domibus solida atq; integra abeunt, opera autem non ita perficiuntur, vt ipse sumptus requirit, mirum videri, si pro copia egestas acquiritur, non debet. enimuero quod iis, qui et sedulo curare possint, et agricultura suo, certoq; ordine exerceant, ea ipsa expeditissimum afferat quæstum, et ipse dum illi operam dat exemplo suo ostendit, et me ipsum idem docuit pater. nunquam enim me bene cultum agrum emere sinebat. sed qui aut negligentia, aut inopia eorũ qui possiderent, neq; cultus esset, neq; arboribus consitus, eum vt emerem hortabatur. nam qui culti, elaboratiq; essent, eos tales effectos multo argento dicebat, neq; præterea incrementum accipere. porro eos qui incrementum non acciperent, ne similes quidem voluptates, vt eos qui acciperent, suppeditare arbitrabatur. Omnem enim possessionem, omneq; pecoris genus, quod in melius feratur, magnopere delectare existimabat. nihil vero maius accipere solere incrementum, quàm agrum, qui ex inutili et infœcundo omnium rerum ferax redderetur. scito enim, ô Socrates, multos iam à nobis agros, ita auctos, vt multiplicato veteri pretio longe pluris, quàm antea, vendibiles forent. et hac quidem sententia, ô Socrates, inquit, tanti facienda est, et ad discendum, ita facilis, vt tu nunc qui audisti, non minus eam ipsam edoctus et sciens, quàm ego abiturus sis, aliisq; etiam docendo traditurus si velis. nec vero hoc meus pater ab vllo alio didicerat, nec item cum magna sollicitudine, aut labore inuenerat: sed quod rem rusticam amaret, laborq; illi esset iucundus, ob id magno se studio eius generis agrum quasiuisse dicebat, ex quo pariter, et quid ageret haberet, et vnde vtilitatem capiens delectaretur. enimuero erat, inquit, ô Socrates, natura, vt mihi quidem videtur, ad rem rusticam inter Athenienses aptissimus, eiusq; rei studiosissimus pater meus. tum ego, quum hoc ipsum audiuissem, interrogaui hominem, vtrum, inquam, ô Ischomache, quoscunq; excoleret agros pater tuus, omnes item possidere pergebat, an etiam vendebat, si vendentem se multum

argenti conflaturum inde sperabat? vendebat scilicet, inquit Ischomachus. sed quum labore delectaretur vehementer, alium illico incultum mercabatur. et ego, dicis, inquam, ô Ischomache, patrem tuum vere studiosum rei rusticæ suapte natura fuisse, non secus ac mercatores rei frumentariæ. si quidem mercatores, quum vehementer rem frumentariam ament, vbicunq; audierint plurimum frumenti esse, continuo illuc feruntur; neq; aut Aegæum, aut Euxinum, aut Siculum mare traijcere verentur. deinde vbi quantam possunt maximam illius copiam sustulerunt, eandem alto mari nauigantes asportant, eodem maxime nauigio, quo ipsi vehuntur, impositam. quotiesq; argentum desyderant, non illud quod vehunt frumenti temere quocunq; delati sint, abijciunt, sed vbicunq; audierint illius esse maximam caritatem, idemq; maximo ab hominibus pretio æstimari, eo vehere illud conantur, vt hominibus illud plurimi facientibus tradant. quocirca mihi quidem tuus pater eadem ratione videtur studiosus rei rusticæ fuisse. aduersus hæc autem Ischomachus, tu quidem, inquit iocaris, ô Socrates. ego uero uel ædificandi studiosos itidem esse arbitror, eos qui exædificare soliti sunt, alias, et alias domos, quas deinceps alijs, et alijs emptoribus uendant. mihi quidem inquam haud istuc dubium est, ô Ischomache. quinetiam iureiurando affirmo, me tibi credere, te arbitrari homines suapte natura earum rerum omnium studio teneri, à quibus sperent se utilitatem accipere. cæterum illud cogito nunc ô Ischomache, ut totum sermonem ei sententiæ accommodatum, quæ à te proposita est, egregie præstiteris. si quidem proposuisti artem agriculturæ omnium esse ad discendum facillimam. nunc autem ego ex omnibus, quæ dixisti, id ita habere usquequaq; persuasum habeo. Id ipsum scilicet, inquit, Ischomachus. uerumtamen, ô Socrates, quod rationibus omnibus uniuersis, rusticæ, ciuili, familiari, bellicæ, commune est, ut ad imperandum idoneus sit, quicunq; earum aliqua sit functurus, id ego qui-

*dem planè tibi assentior in causa esse, vt alij sententia ac mente longe sint alijs præstantiores: veluti in triremi, inquit, quum iam pelagus tenent, et remorum vi diurnas perficere nauigationes coguntur, tum alij quidem, quorum munus est in naui iubere, ea et dicere et facere possunt, quibus animos hominum alacres reddant ad id sua sponte agendum, quod tali tempore agendum sit. alij vero ita improuidi sunt, vt duplo longiore temporis spatio eandem nauigationem conficiant: et hi quidem, qui iubet videlicet, quiq; iubenti parent, egrediuntur de naui sudantes, mutuisq; se laudibus afficientes: illi vero dum nullo sudore nauem impellunt, odio se mutuo prosequuntur: eos qui parent, is qui iubet, eum qui iubet, ij qui parent. eadem ratione, inquit, imperatores alij alijs præstant. nam alij quidem eos quibus imperant, neq; ad labores, neq; ad pericula subeunda alacres, neq; ad parendum, vel animo obsequentes, vel voluntate faciles præstant, nisi quoad aliqua necessitas cogat, quinetiam gloriantes si quando imperanti repugnauerint. ijdem porro ne vlli quidem verecundiæ aut pudori assuefactos habent, si forte pudendum quidpiam commiserint. alij vero illi et diuini et præclari duces, qui optime norunt quid facto opus sit, postq; eosdem illos in disciplinam, plærunq; autem et alios cum illis, acceperunt, tum et pudentes illico reddunt, nequid turpe committant, et existimantes nihil satius, quàm parere: quinetiam et dum parent, vnumquemq; exultantes, et vniuersos si laborare sit opus, perquam impigre laborem adeuntes: si quidem, vt in priuatorum singulorumq; animis ingeneratur, nonnunquam industria quædam, amorq; laboris, sic etiam in toto exercitu à bonis imperatoribus, et laboris studium ingeneratur, et ambitio, cupiditasq; agendi præclarum quidpiam in ipsius imperatoris conspectu. quemcunq; autem ducem hoc animo prosequuntur qui militant, hic sanè eam sequitur rationem, qua præstrenui fiunt imperatores. nec vero si qui*

illorum optimo habitu corporis milites habeant, et iaculo et arcu quàm optime vtantur, et equo præstantissimo insideant, vt equitandi summam peritiam, scutiq; atq; hastæ vsum singularem ostentent, dum sese ante alios periculis obiiciunt, sed qui possunt in animis militum eam opinionem infigere, qua putent, et per flammas medias, et per omnia pericula imperatorem esse sequendum, eos merito quis magnanimos vocauerit. quicunq; enim hoc animi proposito multos habet, qui se ducē sequantur, hic merito magna manu ingredi ac ferri dicendus est, quippe cuius voluntati multæ libenter subseruiant atq; obsequantur manus, ingensq; ille vir fuerit re vera qui animi potius, quàm corporis viribus res ingentes possit perficere. eadem sane est priuatorum quoq; operum ratio, siue procurator sit, qui operi praeest, siue præfectus. qui enim potest, et alacres, et ordinem seruantes, et assiduos ad opus faciendum præstare, hic ex eorum numero est, qui et ad bona perpersequenda proficiunt, et ad magnas opes acquirendas idonei sunt. at vero ipso domino inuisente opus, ô Socrates, quisquis potest maximo malo afficere malum operarium, aut eum maximo honore augere, qui prompte suum munus exequatur, si quando nihil insigne efficiant operarii, ego quidem hunc talem non magnopere admirer, sed quem conspicati illico excitentur, quoq; præsente vnicuiq; ex operariis animus, et robur accedat, et contentio inter ipsos, certamenq; honoris existat, quo quidem nihil cuiquam accidere potest efficacius, hunc sane ego dixerim aliquid moris regii obtinere. hocq; ipsum, meo quidem iudicio, in omni opere, vbicunq; aliquid efficiatur per homines, maximi est momenti. quare etiam in agricultura. neq; tamen, ita me Dii ament, hoc ipsum de quo loquor, videndo duntaxat, aut semel audiendo, quempiam discere posse autumo. sed eum qui talia sit præstaturus, et disciplina indigere, et bono ingenio præditum esse oportere censeo, et

*deniq; , quod omnium maximum est , diuinum existere . non enim videtur mihi hoc omnino bonorum genus humanum esse, sed planè diuinum , palam imperare volentibus . quippe , quod deferri soleat ad eos , qui iam ad summum temperantiæ ac prudentiæ gradum peruenerint . at vero , vt tyrannidem exerceant apud inuitos , ijs mortalibus largiuntur Dij , vt ego quidem arbitror , quos existimauerint dignos , qui Tantali instar viuant : quem aiunt apud inferos vniuersum tempus degere timentem , ne bis moriatur .*

FINIS.

VENETIIS APVD BERNARDINVM VITALEM. M D XXXIX. KAL. AVGVSTI.

J. Voan. d Catben

Cum Priuilegio Illustrissimi Dñij per Decennium.